BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 A
11
M

CLAVDII ROIL-leti Belnenſis varia poemata.

Indicem ſequens pagella continet.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,

Apud Gulielmum Iulianum, ſub inſigni Amicitiæ, prope collegium Cameracenſe.

CVM PRIVILEGIO.

1556.

TRAGOEDIAE.

PHILANIRA.

PETRVS.

AMAN.

CATHARINA.

DIALOGI.

VINEARIA.

FORTVNAE CONIVGIVM.

DIANA SIVE SATYRI.

ECLOGA IN CONGRATVLATIONEM CARDINALIS LOTHARINGI AB ITALIA REDVCIS.

EPITHALAMIVM ANTONII BARTHOLOMAEI PATRITII ET CIVIS LVCENSIS ET YSABELLAE CENAMI.

VARIA EPIGRAMMATA.

AD IO. FERRANDVM SENONENSEM SVMmum Archidiaconum.

SEu Senonum antiqua te ſacra morantur in vrbe,
Seu dicenda tuo iura pſtita gregi:
Seu magis Egeriæ te mons oblectat, vt illo
Componas animi turbidiora tui:
Excipe quæ prima eſt noſtri fœtura laboris,
Vt te fulta, tuo creſcat ab auſpicio.
Forſitan hic fuerit, quod, dum grauiora remittes,
Egeriæ credas poſſe placere tuæ.

AD EVNDEM DE MONTEgerino.

VT lyrici, domus Albuneæ reſonantis, & alta
Tyburti lucus nobilitatus aqua.

Et præceps Anio vitreis pomaria riuis
Cingens, laudis habet plectra ſonora ſuæ:
Sic aliud plectrum forſan ſibi Chloris habebit,
Chloris Hero, Chloris nobilitata loco.
Chloris agro Senonum pingui contermina, villæ
Quæ de flore ſuæ nomina prima dedit.
Forte alios rapiet Vallis ridentis imago,
Vt nitidum hanc docto pectine pulſet ebur:
Nec deerunt, celebri qui ducti Valle, repertum
De luce ætherea quæ ſibi nomen habet,
Digna Sophocleo meditentur metra cothurno,
Inflataq; ſonent Vallis aperta tuba.
Eſto ſuam Chlorim commendet Flora, ſalictis
Hinc illinc modicis cincta, viréńſque iugis,
Pampineis vmbroſa comis, & frigida fonte
Obliquante ſuos læta per arua ſinus.
Eſto etiam Vallis ridentia prata ſuperbum
Efficiant riuis, ceſpitibúſque locum,
Qui iam hinc, iam illinc laqueato luceat auro,
Natura nitidus, non tamen arte minus:
Accedat, cœlo quæ ſubdita Vallis aperto eſt,
Vt clara eſt, Phœbo ſic quoque digna ſuo,
Caſtellata, ipſo vel cardine nobilis, à quo
Pendet Pyerij laus modulanda chori.
Non tamen efficient, Montis quin forma Gerini
Alliciat numeros ad ſua vota meos.
Quin, ſi non plectro mihi Mons pulſetur eburno,
Nec libertina carmen agente lyra,

At ſaltem tenui calamo ſtridentis auenæ,
Non inter Senonum deprimat arua caput.
Forſitan & fuerit non nota in arundine, quo ſe
AEqualem reliquis gaudeat eſſe locis.
Ergo age muſa, locum laudans ne neſcius errem,
Dic primùm, ratio nominis vnde venit.
An quia multa gerit fœcunda valle, latina
Quod partim, partim Gallica lingua ſonat?
An quia diffuſis hinc atque hinc fertilis aruis,
Dicitur aërio plurima monte gerens?
Anne à Geryone eſt, quod in hæc Erytreidas olim
Ductus monte, ſuas egerit arua boues?
Fortè alij quod Deliaca ſaltare chorea
Nympharũ hic quondam eſt viſa ſoluta cohors,
Nomina facta loco credent, Montémque Gerinum
A Græco dicent nomine, quod γέρανος
Altius inquirent alij, dictúmque putabunt
Nomine de patrio Neſtoris eſſe locum:
Seu quod honorato decorare Gerenius ore
Suſtulit, & patrium maluit eſſe ſolum:
Seu, quod vt extiterat canis veneranda ſenectus,
Sic ſenibus dignum credidit eſſe locum:
Græca voce γέρας quod honor ſignetur, honoris
E titulo montem qui velit, alter erit.
Quid ſequar aut credã? ratio ſua quenque tuetur,
Iudicio tamen eſt non ſatis apta meo.
Nomine in impoſito ſuſpenſus vt hæreo, muſa
Auxilium implorans conſiliúmque mea.

Ecce repentè mihi canis veneranda capillis
  Candida Nympha oculos aſtitit ante meos.
Fonte ſatam ſcires, toto de corpore riui
  Manabant vitreo lata per arua ſinu.
Hanc circùm Charites, circùm quoque Naiades,
  Eoo facilis ſpirat ab ore notus. (& qui
Quæ ſimul ac fluido rorantes flumine vultus
  Preßit, & irriguas in ſua colla comas,
His me mirantem compellat vocibus vltrò:
  Finem in me curæ pone, poëta, tuæ.
Nominis iſtius primùm te faſce leuabo,
  Quódque petis, certa non niſi voce dabo.
Si neſcis, vulgi qui Mons eſt ore Gerinus,
  De noſtro primum nomine nomen habet.
Túque adeò Egeriæ memor es, quæ prima Sabini
  Nympha Numæ coniux, conſiliúmque fuit:
Illa ego ſum Monti quæ nomina pono Gerino,
  Nomina de titulo non peritura meo.
Mons eſt Egeriæ, detraxit pauca vetuſtas,
  Vt iam non vobis integra tota ſonem.
Finierat, cùm ſic contrà clauſa ora reſolui,
  Voce mea ſacram ſollicitante deam,
Certè hoc audieram, latios vt fuſa per agros
  Valle in Aricina condita tota fores,
Qui fit, vt & lata te claudat Aricia valle,
  Et Gallo Senonum nunc foueare ſolo?
Gaudeat vt Gallus gremio excepiſſe ſuperbo,
  Romanum pudeat deſeruiſſe tuum.

Riſit

it, & ô quàm te fallunt tua tempora, dixit,
Non ſatis à Samio facta polita ſopho.
licet ignarus nihil eſſe in imagine eadem,
Quòd ſolidum duret, perpetuúmque nihil.
quoque vel viſum eſt, tellus ſolidiſſima quondam
Quæ fuit, in vaſtum cepit abire fretum.
actæ etiam ſolidæ ſunt quondam ex æquore terræ
Cùm procul à pelago concha marina fuit.
Et procul aërio conſpecta eſt anchora monte,
Fundarat magnas quæ prius alta rates.
Hic natura nouo miſit de gurgite fontes,
Quos illic preſſis ſidere iuſsit aquis.
Aſpicis vt terræ anfractu Lycus abditus, hinc iam
Sit procul, atque alio cærulus ore fluat?
Aſpicis & terras genuina è ſede reuulſas,
Vt Zanclem, atque Helicem fama fuiſſe refert?
Omnia ne referam, vel nunc non aſpicis, vt iam
Sit noua Palladio forma recepta loco?
Quas olim florens Græcus ſibi vidit Athenas,
Has iam mutato nomine Gallus habet.
Sic quoque me quondàm quæ vidit Aricia fontem,
Mutata Gallis ſede redire videt.
Namque per obſcuros terræ deducta meatus,
Montis in iſtius vertice Nympha fleti.
Thura deos veluti, & ſacri laquearia templi
Exornata, illos ſic loca amœna iuuant.
Et locus hic cœlo & multa gratiſsimus vmbra,
Dignus erat noſtris qui ſinuaret aquis.

Hinc ego Aricina dimiſſa valle, tepentes
Suſtinui hic placido fundere fonte ſinus.
Nam quid ego hic potius lympha trepidare fugaci
Non cupiam, & riuis prata rigare meis?
Quàm qua parte ſuos agitat calidiſsimus orbes
Phœbus, & ardenti concoquit ima face?
Vel qua parte etiam poſsit puduiſſe benignis
Inuectum flammas euomuiſſe rotis?
Si neſcis, locus iſte fuit vel Apolline dignus,
Naſcentis potius dignus honore Iouis.
Iam primùm aſpicias læto qua ſtagnat hiatu
Vnda, & concluſo gyrat in orbe lacum,
Extento ſtagnum quod conceſsiſſe Lucrino
Vix velit, exiguis ſit licet vſque vadis.
Hic domus extructa eſt ridenti candida cœlo,
Aduerſa pronus qua fluit amnis aqua.
Inde licet videas longo & magno agmine piſces
Squamigero liquidos ore ſecare lacus.
Naribus aërias captare patentibus auras,
Et iam depreſſum condere in ima caput.
Parte alia valle in ſpatioſa, prata ſtupebis
Herboſo hinc atque hinc luxuriare ſolo:
Molli & fragranti ridentia gramine, per quæ
Fons viuus liquidis expatiatur aquis,
Fons è vicino decurrens monte, leuíque
Murmure prærupti montis in ima fluens.
Tendit in eoas ſinuoſi aſpergine partes

Vnde

Vnde ſalutiferæ fonte bibuntur aquæ.
Quid, quod et irriguo fonte & ſtagnãtibus vndis
Imminet vmbroſis ſyluula opaca comis?
Imminet & gelida ſaltus gratiſſimus vmbra,
Inde horti cingunt, cingit & inde nemus?
Hîc quoq; bis genitus ſpargit ſua munera Bachus.
Hic ſua flaua Ceres, hic ſua Pallas habet.
Hîc ſunt vnde queant cerealia munera in vſum
Humanum ſaxo grana terente legi.
Hîc quæ facta hominum iuraueris arte manúq;,
Quæ natura ſua ſurgere iuſſit ope.
Quid non hîc liceat calamos tibi ſæpe paluſtres
Inflantem agreſti Pana videre ſono?
Dum Syringa ſuam cæco meditatur amore,
Præreptámque ſibi luget, & ardet amans.
Quid non & faunos liceat ſpectare fugaces
Longò errare choro, capripedúmque genus?
Montéque de ſummo deſcendere Oreadas, & ſe
Saltantes Nymphis aſſociare meis?
Vera loquor, fuit & ſtygiis cum Pluto repertam
Hîc natam Cereris crederet eſſe ſibi.
Crederet & mater ſubductam poſſe repoſci,
Vt premeret ſacro vallis amœna pede.
Sæpe ſuum Venus hîc Citherea petiuit Adonin,
Hîc vbi purpureo flore rubebat humus.
Sæpe hîc Narciſſum Nymphæ, reſonabilis Echo
Crudelem extrema quem modò voce ſonat.
Sæpe Crocon paruum hîc, paruo cum Smilace florẽ,

Quóque Aiax fuſo ſanguine pinxit humum.
Quid loquar & Clitiē Phœbo aduerſante petitā?
Et quæ pulchra ſibi munera Chloris habet?
Nam licet hanc alius delecto conſecret agro,
Suſtinet hunc vario pingere flore locum.
Non etenim hunc ſpernat, Zephiro quē cōiuge norit
Et leni, & facili concrepuiſſe noto.
Quē circum volucres concentibus aëra mulcent,
Præcipuè Iſmarium concinit ales Ityn.
Fons circum effuſis ſpargens argenteus vndis
Quos facili flores germine terra parit.
Heu quoties arcu hic poſito, poſitáque pharetra
Procumbens, docta luſit Apollo chely!
Luſit, & adductis modulata ad carmina muſis,
E puro vt puras fonte bibiſſet aquas,
Vates verus, ait tibi ſe tibi gloria tandem
Pegaſei debet quæ fuit ante loci.
Hic Hippocrene viuo qui ſe exerat alueo,
Audiat & noſtri muſica plectra chori.
Cuius aquæ vt gelidæ feruenti æſtate bibentur,
Sic calidæ, quando nuda rigebit hyems.
Hic nulla obſcœna decurret Salmacis vnda,
Semimarem attactu quæ facit eſſe ſuo.
Et nulla AEthiopum, quæ vel grauitate ſoporem
Aduehit, aut miro pota furore premit.
Nulla & ibi Ciconum quæ ſaxea viſcera reddit.
Tactíſque induit marmora dura locis.
Nec quæ etiam Arcadico decurrens flumine, luce

Proſit

Proſit pota, nocens nocte bibatur aqua.
Quicquid erit quod fonte fluet, quod fonte bibetur,
Innocuis tuta fauce bibetur aquis.
Inde loci ductus forma & nouitate, camœnis
Qui charus noſtris, & mihi charus erit
Vir veniet, quē tres charites quē Veſta, poténſque
Iuno ornet, dextra prima Minerua regat.
Audiat vt muſas citharis diuerſa ſonantes,
Hunc celebrem celebri muniet æde locum.
AEde illa, qua non audax velut ante Pyreneus,
Inuitas tentet cogere Mæonidas.
Sed qua ludentes vltróque vltroque docentes,
In docto poßit doctus habere ſinu.
Huc quoque Aricina mutata valle Sabini
Nympha Numæ veniens fonte liquente fluet.
Quódque illi quondam Numa rex, eſt ipſe futurus,
Ipſi eadem ſacro quod fuit ante Numæ.
Dixerat hæc & dicta fides ſua certa ſequuta eſt:
Idque hodie certo conſpicis indicio.
Mota viri fama, mota & pietate, mariti
Qua ſolum noſſem facta referre mei,
Qualiter Alpheo coniuncta Arethuſa, recurrens
Mutatas curuo gurgite miſcet aquas,
Taliter ipſa meas his miſcens Nympha, ſacrorum
Quæſiui Senonum ſub regione patrem.
Id quoque ſentit amans, nam ſi grauiore laborat
Pondere, quale frequens vrbs ſpatioſa parit:
Aut vt iura ſuis reddens, aut ſacra procurans

Id faciat deus hinc, quod probet, hinc populus.
Vnius à monitis pendet, me conſulit vnam,
Sentit & egeſtis non graue pondus aquis.
Eſt igitur dubitare nefas de nomine, quod tu
Deduci à culta percipis Egeria.
Hac me Nympha tenus dubium ratione leuauit,
Traxit & in partes officioſa ſuas.
Quæ mihi partem, vtinam, illius velit eſſe fauoris,
Quo te ſacrificum iuridicũmque fouet,
Montem vt miratus, claróque vndãtia fonte
Stagna, ſacram Phœbo Mæonidiſque domum,
Aſpergam arentes fauces hoc rore, poëta
Vt melior factus poſt meliora canam.

AD LECTOREM.

Vile opus eſt, dices, quod pagina rara poëta
Nullus commendet, nulláque forma probet.
An tamen vt rara hoc commendet pagina, præco
Exornet nullus, formáque nulla probet,
Protinus abiecta fuerit tibi vilius alga
Vt credas nullo ponere poſſe loco?
Latius extendi poterat, breuitate placere
ſed volui, poſſem cũm dare plura tibi.
Nullus præmiſſus præco, qui plurimus eſſe
Mi poterat, ratio parua, ſed apta tamen:
Nam vel ego æquabor præmiſſo carmine, vel me
Deteriore alius, vel meliore canet.

Si pri-

Si primùm, me laus æquali ex ſorte manere
Nulla poteſt, fuerit dum mihi carmen idem.
Si duo quæ reſtant, vilis meliore putabor,
Et fiam rurſus deteriore nihil.
Vt nihil ad formam excultum videatur, habebis
Candori poßit quod ſatis eſſe tuo.

Ad eundem

Dormitans fateor, tibi laboro,
Quæ ſi tu vigil aſpicis, notáſque,
Parùm me vigilem notare poßis:
Sed ſi longo opere vt neceſſe ſomnum eſt
Tandem obrepere, ſic tibi legenti
Obrepat, grauis vt ſopore tandem
Dormitaueris ipſe, dum videbor
Dormitaſſe, etiam labens frequénſque
Dormitabis. & inquies, tenebras
Alterna ſibi luce non negabit.

PAucula in tragœdiarum noſtrarum œconomia curioſis oculis notari poſſunt, quæ ad technologiam Horatij, *aut ad imitationem Senecæ quaſi ad legem inuiolabilem religioſè non coegi. Nam in re tam lubrica ſummum iudicaui, ſi vt vſus ut res poſtularet conſilium prudentiáque potius quàm ars dominaretur. Sed tamen bona in parte ad Græcorum rationem me comparaui.* E *qui-*

bus &

bus & aliis quod lectione vſque adhuc aliqua potui obſeruando collegiſſe, ſi hoc quicquid eſt probari & approbari à te ſenſero, faciã in tuo nomine ad communem aliquando vtilitatem appareat.

ARGVMENTVM PHILANIRAE.

MVlier in Inſubria virum carcere concluſum & morti prope addictum prece vel pretio redemptura, ſupplex ad prætoris genua procumbit: Cui ſpe viri recipiendi ſolicitata copiam ſui facit. Sed deluſa, cadauer pro viro recipit. Prorex querela audita, firmatis inter eos nuptiis, vt mulieri ſartam tectam pudicitiam defendat, poſtridie adulterum capite damnat.

PERSONAE.

PHILANIRA.
PRIMA ANCILLA.
SECVNDA ANCILLA.
PVERI. 3.
SEVERVS.
SANGA.
PROREX.
SENEX.
NVNTIVS.
CHORVS INDIGENARVM PVELLARVM.

Extraict des regiſtres de Parlement.

LA Court ayant egard à la requeſte a elle preſentée de la part de Guillaume Iulien libraire en l'vniuerſité de Paris: Tendant par icelle à ce qu'il luy feuſt permis imprimer ou faire imprimer & vendre vn liure intitulé: Varia poemata Claudij Roilleti Belnéſis A permis & permet audict Iulien libraire, d'imprimer ou faire imprimer ledit liure, & iceluy expoſer en vente. Et inhibé & defendu à tous Imprimeurs & Libraires de ce reſort, de l'Imprimer ou faire Imprimer ne mettre en vente, pendant le temps de quatre ans, à commencer du iour qu'il ſera acheué d'imprimer, ſans le vouloir & conſentement dudict Iulien: Sur peine d'amende arbitraire, & cõfiſcation des liures qui ſe trouueront imprimez cõtre la teneur de la preſente commiſſion. Faict en Parlement le neufieſme iour de May, l'an mil cinq cens cinquante ſix.

Ainſi ſigné

Camus.

ACTVS PRIMVS.

PHILANIRA.

SEu vaga fuſcis nox tegit alis
Magna vmbroſæ brachia terræ:
Seu curpureis aurora micans
Bigis, croceum lumen reuehit:
Seu flammiuomis inuectus equis
o Phœbus lucet in orbe:
nox tenebris curas operit,
rore leuat aurora ſuo,
igne fugat Titan aureo.
nox viduo reddens thalamo,
nia quæ non mæſta reducit?
i dilecti forma mariti
it in ſomnis triſtis imago,
lénſque ſitu necte reſurgit.
os erebi noctíſque dei,
nni triſtes arcete minas,
nis mendax euolet alis.
ſus vinclo vinctus aheno
ſanguineo corpore terram
gens, mihíque ſparſos cineres

Membráque mandans trunca ſepulchro
Condenda breui, charóſque meæ
Credens fidei pignora natos.
Hæc mihi ſparſis dat nox tenebris,
Quæ ſeu roſea lampade coniux
Tithoni ardet, plenúmve Iubar
Phœbus rutilo deuomit axe,
Grauius nobis cuncta nouantur.
Cur me aſpiciens aurora, meum
Clauſum non aſpicit Hippolytum?
Omnia cur ſol luſtrans opera,
Cunctiſque ſuos ſpargens radios
Vincto miſerè denegat vni?
Cur licet vni cernere Phœbo
Quos ſibi furto iunxit amores,
Non licet vni cernere Hippolyto,
Quam ſibi iuſto iunxit thalamo?
Aurea Phrygium diua cubile
Amplexa ſenem modò deſeruit,
Surgens nitido læta colore,
Quem mox repetet ſimul ac veſper
Lucem clauſo ponet olympo:
Aſt ego miſera lecto è viduo
Frigida ſurgo, nuda marito
Iuuene & læto, quem durus habet
Vinctum ad pœnas carcer, qui me
Sibi ſublatum luget & ardet.
Cur quos animus iunxit, carcer

Separat

parat, aut cur Aurora mihi
œbúſque nitidus ſe pandit,
la marito nox perpetua eſt?
ut me æternis da nox tenebris,
ut redde meum luci Hippolytum:
unc tu radiis Aurora tuis,
unc Phœbe tua lampade luſtra,
el tu lacrymas concede quibus
emnona natum defleuiſti,
nctum his liceat lugere virum
tus vt illas orbis capiat:
el tu arcitenens Phœbe, decorus
rine & Pharetra, miſeram miſſis
lle ſagittis.

Prima Ancilla, Secunda Ancilla,
Philanira.

QVIS *iſte planctus tam frequens aures ferit?*
uis gemitus iſthic triſte tam longum ſonat?
C. ANC. *Num vox herilis, num ſonat mœ-ſtus dolor?*
illa certè eſt, quæ modum nullum facit
crymæ furenti, ſic ſuum luget virum,
hunc requirit: quin damus miſeræ manum?
I. ANC. *O ſola noſtri cura amórq; pectoris*
ilanira, quid te tam graues quæſtus iuuat

Fundere? quid oris ſplendidi roſeum decus
Fœdare luctu? SEC. *Quid iuuat lacrymis genas*
Opplere tantis? PHIL. *Funditur flendo dolor.*
Quin ſim miſera coniux cui ſit vir miſer?
PRI. ANC. *Dum vix Olympo Aurora pellit lucida*
Sydera, micans Titan coma vix dum aurea
Reddit diem, quæſtus miſera repetis tuos.
PHIL. *Quid non repetam, & vincam Halcyones,*
Vincam & volucres Pandionias,
Grauior quando his fortuna mea eſt?
Semper meus eſt mihi vir flendus;
Vir primorum cauſa dolorum.
SEC. *Nullum tuis ſi luctibus ponis modum,*
Si ſemper artus intimus rodit dolor,
Si fletus exedit animum, ecquod gaudium
Sperare poßis? quod tibi vitæ genus?
PHIL. *Vitæ genus ſuaue eſt mihi breuiter mori.*
PRI. *Iam bis reſurgens Phœbus Oceano caput*
Demerſit imo, iam ſuo curru ſoror
Bis ſubſequuta argenteum exeruit Iubar,
Non Phœbus ipſe te tamen, nec Delia
Guſtare vidit flaua quæ Ceres parit.
SEC. *Bis rebus vmbram terra diffundens ſuam*
Cernēda ſummo ſydera reduxit polo;
Dulcíſque cunctis nocte bis rediit ſopor,

Hinc nulla te tamen quies, nullus ſopor
epit iacentem: ſola tu inſomnes trahens
octes, gemitibus alluis caſtum thorum,
ſus capillus abſque lege ſpargitur
r colla candida, oris informis decor,
allens & horrens ſordibus vultus, genæ
chrymis graues, & quæ colorem traxerant
ualis racemis eſſe ſolet albentibus
arſo rubore, nunc ſitu totæ rigent.
HIL. *Funereus in funere viri placet color.*
RI. *Hoc omen iſtis abſit à verbis precor,*
c funera viri, nulla quæ ſunt, cogita.
HIL. *Ah nulla nulla, ah ah, ego hũc ego miſera*
ac nocte vidi vt lacrymis oculos graues
gis dolor, quàm gratus obtegeret ſopor.
di hunc ego miſerrima fluentem ſanguine,
ltóque tabo liuidum ſeſe mihi
ncum offerentem, atq; alloquentẽ his vocibus:
noſcis, ô coniux, virum? Agnoſcis tuo
i iunctus olim dictus eſt fœlix thoro?
noſcis iſtas vinculis tritas manus?
noſcis humeros impio laceros modo?
lſum & illis enſe crudeli caput?
ox Seuerus hoc mihi fatum dedit:
rtem hanc mihi dedere ſanguineæ manus.
ſurgito, & ſolum quod ex viro tibi
at cadauer, redime lacrymis tuis:
uſa fletu oſſa ſepeli, atque vrnæ dato.

Ibo miſera coniux, miſeri vt ego coniugis
Lacera legam membra, & breui hunc leto ſequar:
Heu quid minantur horridi manes mihi?
SEC. *O credula mulier nimis, quid ſomniis*
Temerè fidem fallacibus adhibes? quibus
Omnes frequenter his locis deludimur?
Quæcunque mentis vis die ſub ipſo agit,
Quæcunque voluit per quietem, iſthæc ſacer
Arcanus & velox refert ſenſus, leues
Falſáſque veris rebus inſerens: age
Ergo modò mea tu, & turbidum recollige
Animum, redi ad te, recipe lætitiam precor.
PRI. *Leue eſt, marito quod tuo admiſſum eſt*
ſcelus,
Nec quod capite, vel ſanguine effuſo luat.
PHI. *Leue crimen, At crudelis eſt prætor nimis,*
Leges ſuas ſolo cruore ſanciens,
Minimum ſcelus ſuam trahit ſecum crucem.
SEC. *Peiora ſemper pronius credit timor.*
PHIL. *Nos anxius cogit timor facta omnia*
Putare quæ fieri queant. PRI. *Animum excita,*
Quin tu priuſquam te dolore maceres,
Dum ſpes adhuc viri recipiendi ſubeſt,
Dum nullus eſt quem non precibus induxeris,
Oríſque gratia tui pellexeris,
Viſis Seuerum, & coniugem tuum impetras?,
PH. *An vlla tantũ gratia aut precibus poteſt*
Vt barbarum viri efferi animum leniat?

An poſſet iſte luctibus turpis color,
Et vox dolore faucibus adhærens meis,
Mouere ſenſus tam ſuperbi pectoris?
SEC. *Non ſi rigenti ſit ſatus de caucaſo,*
Non ſi Leæna, aut tigris vbera ſuxerit,
Non ponat animum & ſanguinis diram ſitim:
Natiuus etiam ſe tuo vultu decor
Qui prodit, ipſis emicans in ſordibus
Quid non mouebit? aude aliquid & te viæ
Committe, cedet gratiæ tuæ furor.
PH. *Hoc vos monetis?* PR. *Quin monuerimus? oïa*
Tentanda dum res eſt adhuc tibi integra.
PHIL. *Tentetur: O qui conſilia hominũ regis,*
Menteſque flectis cœlitum hominúmque arbiter,
Linguam, pedéſque, pectoris ſenſum rege:
Da quo Seueri dura pectora molliam.

CHOR. *Qualis admoto viret in marito*
Stipite exurgens, eadémque adempto
Concidit marcens ſociúmque poſcit
Languida vitis:
Talis exurgens ſociata coniux
Ore ſplendeſcit roſeo, coloris
Purpura vultum inficiens, remoto
Coniuge languet.
Marcet infœlix Philanira, lecto
Vt iacet nudo viduata, mugit
Non ſecus quàm quæ caruit recepto

Vacca iuuenco.

Seuerus, Philanira.

VINCTVM *tenete vos virum hunc, & carcere*
Cohibete cæco, verberum vis extrahat
Secreta mentis & fluens membris cruor.
Teſtor ſupremum lucidi ſolis Iubar,
Triuiæq; regnum pallidum Proſerpinæ,
Teſtor ſub vmbris tres ſedentes iudices,
Quos expaueſcit conſcia ſcelerum cohors
Vrnam mouentes, hodie Italia viderit
Dignum Seuero facinus, & ſilentibus
Deuotus vmbris, expiatum ſanguine
Crimen reportans ÆEaco teſtabitur
Terram hanc ſuos habere quos tremat ÆEacos.
Iam norit ille quid ſit in regem ſuum
Admittere ſcelus, & quid opprimere ſibi
Concreditum populum, & bonis diteſcere
Quæ vi dolóque ſubditis ſubduxerit.
Iſthuccine eſt populum regere? ius dicere?
Seruare cui ſua debeas, ei abſtrahas?
PHIL. *O perditam me, quodnam ego verbum audio?*
Num ſe in mariti iſthæc mei flectunt caput?
SEV. *Iam iam rapinas corporis pœna eluat*
Iam ſpiritum iniuſtum cruce merita expuat.

HIL. *Accede miſera, accede, ſi quid lachrymis,*
quid potes precibus, viro vitam impetra:
ocumbe ſupplex, & manus domini ad pedes
bmitte, nec turpe id puta quidquid iubet
rtuna miſeros: raſus excedat pudor.
cuius in virtute, dextráque, & fide,
gni recumbunt maxima res Gallici,
r illa quæ nunc oſculor genua, & pedes
r lacrymas meas frequentes quæ cadunt,
hos, & ipſa voce teſtantur magis
imum meum, & caſus graues grauius ſonant:
cuius vnius manu mors & ſalus
a eſt, rogo iam ſtatue num dignam putes
æ te occidam, aut te ſim ſuperſtes iudice.
ſolus vno me potes verbo neci,
ſolus idem me potes vitæ dare.
re perempta num velis potius tibi
trahere labem, quàm retenta gloriam.
V. *Quid ſic recumbis? à meis genibus manus*
er, meóſque potius amplexus pete.
. *Non auferam quin reſciero de te prius,*
n vel mori me tu iubes vel viuere.
Ego te mori iubeã, aut velim, quam ſi queam,
ſepultam retrahere ad ſuperos, velim?
, mea tu, lacrymas, nec ius te confice:
re iubeo, dextram mihi manum porrige.
IL. *Vita Hippolytus mea vir meus eſt,*
Hippolytus ſpes certa mea,

Ille mea ſalus, redditus vnus
Vitæ tantum me reddet meæ,
Idem ablatus vitam eripiet:
Hunc (ſi mihi me reddere ſtudeas)
Quo ſine iaceo, quo ſine pereo,
Miſeræ, quæſo, redde vxori.

SEVER. *Quid? tu illius ne es miſera coniux coniugis,*
Quem crimen imo deprimi vult carcere?
Cui iura plebis, cui bona euerſa & decus?
Quem iam moratur? PH. *Ah quid? ah.* SEV. *Crux vel rota.*

PH. *Crux vel rota? o dij, ſiccine iubes viuere*
Qui me in viro cogis mori? Ego per hāc manum
Qua ſpem dediſti dum iacentem ſubleuas
Quam lacrymæ meæ fluentes irrigant,
Per ſi qua reſtat corde in imo humanitas,
Per liberorum ſpem, & thori dulcedinem,
Obſecro ſi crimen viri grauius premit,
Saltem innocentis miſereat tete mei.
Leuetur huius quod poteſt credi ſcelus
Mea innocentia, duo ne in vnius
Buſto ſepeliātur. SEV. *Grauius hoc eſt, tibi*
Quàm poßit à nobis dari: nullæ hoc ſinunt
Leges. PHIL. *At hoc pietas ſinit, nati ſinunt,*
Rogántque miſeri pro ſuo patre ſupplices.
Quid mater, aut quid liberi patris luant
Crimen? vel vno quid perempto tot cadant?

SE V. O peſtis ingens, o venenum maximum,
ouus quis artus intrat in meos calor?
iuus pereo, videns cado. PHIL. Quid obmurmurans
Oculos reflectis à meis tuos? ſiles
ratus & me non neci aut vitæ meæ
Reddis? SEV. Precibus hoc tu ſtudes vt impetres
A me, quod in te ſit ſitum: in te vna viri
Mors eſt tui aut ſalus. PHIL. Quid hoc tandem rogo?
SEV. Tu ſola redimere hunc potes vel perdere.
PH. Peream ego dum ſaluus mihi redeat meus.
SEV. Celare nil me te iuuat: noctem peto
Qua liceat amplexu tuo tota frui:
PHIL. Ah ah, ab ore quod excidit verbũ tuo?
Vitam potius hanc quàm pudorem poſtula.
SEV. Peto remotis quod procures arbitris.
PHIL. Petis meũ qui me arguat ſemper pudor.
SEV. Petis quod ipſæ non ſinunt leges mihi
Dare tibi. PH. Nec me tibi thori leges ſinunt.
SEV. Age age, vt voles tuum tibi pudorẽ habe,
Crux interim aut gladius tuum expectat virum,
Extremus hic viri eſt recipiendi modus.
PHIL. Iam quò miſera flectas gradum? aut quid conſili
Captes, vt iniuſtæ tibi tam proponitur
Conditio? miſeram ter quater, quin tu mihi
Tellus dehiſcis, & nece æterna premis!

CHORVS.

Qui primus veterum concubitus vagos
Repreſſit, ſtatuens coniugibus modum,
Sacri iura thori, vincla iugalia
Nocturnáſque faces, melláque dulcia
Puro expreſſa fauo, quæ biberet, ſuo
Vxor iuncta viro: qui ſtatuit, caput
Vt ſupra haſta micans, vel gladius for
Quanto iudicio fuit?

Hinc Caius celebris, vóxque Talaſſij
Inculcata frequens, & reſonans hymen,
Hinc auſpex ſacer, & pronuba nuptiis
Primis ſacra fuit: nupta noua hinc caput
Obduxit tenui candida linteo:
Hinc ſparſæ pueris dum trepidant nuces,
Hinc far, hinc Veneris cingula Cypriæ
Quæ vir ſoluere debeat.

Summus rerum opifex ſydera qui regit,
Contorquétque manu, qui reditus vagos
Cæleſtéſq; citis cardinibus rapit,
Primum ſic homini poſſe dedit loqui
Vt ſeſe ſociis cœtibus inſerens,
Sermonémque ferens, & ſua diuidens
Noſſet diſsimilem feris.

Cùm primùm thalami iure iugatus eſt
Vir nuptæ, facibus cum ſocialibus
Vnus de geminis exiit, vnáque
Mens eſt facta, domus primula prodiit:
Cœpit tunc hominum prima iugalitas,
Communiſque thorus: principium petis?
Illud Iuno potens, illud hymen ſacer,
Illud coniugium dedit.

Dum ſe mixtus agit ſanguine ſpiritus,
Alternáſq; ſubit ſeminibus vices,
Is vincitur amor, ſoluere quem ſua
Dextra non queat Hercules.

Is vincitur amor, quem neque detonans
Immiſſis Boreas nubibus horrifer
Frangat, nec Sicula quod manet ex ſpecu
Infeſto tonitru Ioue.

Hoc Grachus docuit, funera coniugis
Ardens funeribus dum redimit ſuis,
Extingui ille marem vt doctus ab auſpice
Auguem præcipit, occidit.

Romanos taceat quis bene Plautios
Conſortes thalami, qui ſimul ac vident
Extremo impoſitas funeribus rogo,
Ferro pectora diuidunt?

Par innatus amor fœmineis fuit
Quondam viſceribus: Iulia dum togam
Pompeij recipit ſanguine perlitam,
Cum partu exanimis cadit.

Qualis quæ cineres coniugis ebibit
Quæ partem tumuli corpore condidit?
Qualis quæ calidis repperit in focis
Poſſet morte virum vt ſequi?

Noſtra his diſsimilem tempora non habent:
Coniux Hippolyti, carcere dum virum
Concluſum eſſe videt, dum metuit thoro,
Quàm non ſe cracians pauet?

Hæc, ſi fata volunt, ſi ſuperi ſinunt,
Et ſi Caucaſeis ire iubes iugis,
Non ipſo redimi corpore coniugem
Fuſo ſanguine deneget.

ACTVS SECVNDVS.

Philanira, Pueri tres, Prima Ancilla, Secunda Ancilla.

ERGO *pudorem poterit homini barbaro*
Philanira proſtituere? Caſtum ergo thorum
Fidemq́; coniugi datã ipſa polluet?

Vt ge-

Vt generis immemor ſui, immemor ſuæ
Virtutis, inceſta venere ſeſe inquinet?
Hoc qui iugales iungit hymenæus faces,
Læſáſque tedas vindicat iuſta manu,
Auertat: & me ſeruet integram mihi:
Me fax iugalis igne ſubiecto prius
Adurat, illam quàm thori violem facem.
Hem! quò rapere? tuo vt pudori conſulas,
Viro miſera non conſules tuo? cadet
Quem redimere potes, vt cum eo penitus cadas?
Pudore læſo quid receptus iuuerit?
Aut quam ſuam me habere poterit coniugem,
Cui ſola quæ dos integra eſt, ſit perdita?
Maneat hic illæſus mihi pudor qui fuit.
Impia, pudoris quæ ratio poteſt tibi
Relinqui, vbi ſententia ſit iudicis
Damnatus alta qui in cruce volucres alat?
Vincat pudorem coniugis periculum.
Vincat mariti quæ mihi eſt potior ſalus.

PVER PRI. *Dilecta mater, quid tuis am-*
plexibus,
Quid oſculis ſolitis tuos non excipis?

PHIL. *Dulces ô quondam pignora mea liberi!*

PVER SEC. *Da baſia parens.* PVER TER.
Me tuo foue ſinu
Mater, tua à ceruice pendeam. PH. *Genas*
Lacrymæ rigant, dum vos miſera video parens.

PV. SEC. *Vbi ille qui promiſſus eſt toties mihi*

Germanicus pugio? vbi veſtis diſcolor?

PVER PRI. *Quin tu mihi potius datam exſoluens fidem,*
Arcum & pharetram cum ſagittis comparas?
Iam arcu volucrem figere lubet paſſerem.

PVER TER. *Fac vt equitare longua arundine liceat:*
Da ſepe votis expetitum equum meis.

PVER PRI. *Sed vbi remotus tamdiu nobis pater*
Abſénſque degit? cauſa quæ tantæ moræ eſt?

PVER SEC. *An non receptus aliquid adferet noui,*
Et, vt ſolet, aliquo beabit munere?

PVER TERT. *Ego redeunti primus illi ibo obuiam:*
Deoſculatus dona primus auferam.

PHIL. O *nati,* O *nati patre miſero liberi!*

PVERI. Mater! PHIL. *Quid iſto nomine vritis? parens*
Vobis videbor, quæ meum prodo virum,
Veſtrúmque patrem? polluo caſtum thorum?
O, O, miſerrimam! cui iam non datur
Hoc matris illæſum decus defendere.
Iam dum licet, quæ ſunt pudica, ſumite
Matris pudicæ oſcula, pudicos in ſinus,
Mox impudicos ruite: cuius ſi integrum
Non recipiatur corpus, at animus integer

Nulla notatus labe reddetur: pater
Sic veſter & vir eſt meus emendus mihi.
Date ergo rurſus vos pudicis vultibus
Oſcula pudica, figite pudicis genis
Oculos pudicos: excipite caſtum halitum.
Vos interim fidæ mihi comites, meos
Seruate mihi tantiſper vt redeo, & patrem
Procuro natis ne vel vſquam impegerint,
Vel alſerint vſquam, aut ſibi aliquid fregerint.
PRIMA ANCIL. *Dabitur opera nobis, vt abſenti tibi*
Curentur omnes, hac qua opus fide. SECVN. *Nihil*
Erit quod in nobis laboris poſtules.
Egredere Chriſto auſpice, duce hoc fœlix redi.
PHI. *Quid hoc eſt? mihi animus hæret, ac retro cupit*
Corpus referre: moueo nolentem gradum.
PRI. ANC. *Quid hoc, rogo, hera, pigro quod inceſſu ſtupes,*
Vultúmque verſas téque in incerto tenes?
PHI. *Animus mihi pendens, malum graue loquitur:*
Cor palpitans totum metu mihi fluctuat:
Reuocabo greſſum dum licet, méque extraham.
SEC. ANC. *Quid his moueris quæ ſuperſtitio leuis*
Curauit olim? nullus eſt niſi quem velis.

Periculi timor. PHI. *viro metuo male,*
Placet ire,lentis membra ſed genibus labant,
Alióque quàm quò nitor abducta auferor.
Vincat timorem propoſita viri ſalus.
O lucis almæ fulgor,& mundi decus,
Greſſus trementes numine tuo dirige.

CHO. *Vadit infœlix Philanira,vadens*
Percipit,ſenſu, tremuliſque membris
(Sic pij mentem ſuperi laceſſunt)
Signa futuri.
Dij quibus curæ thalami iugales,
Quos mouent caſti pia iura lecti,
Ducite inceſſus,pauidámque veſtra
Cingite dextra.

SEVERVS.

QVid?ſic ſuperbum potuit animum inuadere
Senſúſque noſtri corporis perſtringere
Mollis puellus, ſic leui telum manu
Vibrare,& altum vulnus in me figere,
Nullis vt herbis & manu nulla queat
Sanari?vbi ſunt quos agebam ſpiritus?
Inuictus vbi animus? vbi vis?cæcus puer
Sic me ſagitta deprimat & vrat face,
Quam nullus humor,nulla vis aquæ obruat?
Hic,hic,hic intus ardet æthnaus vapor

Flam-

Flammáſque magnas oſſa per media euomit
Quæ me inſepulto ſemper igne concoquant.
Hic fax adurens ſedéque ima diruens
Quæ me, & meos ſenſus vorat. Quid? proh deûm
Cœleſtium fidem! viro cuiquam ſuus
Ita ſit animus abiectus, vt pueri iugum
Excutere non poſsit? Quid hoc de me queror
Quod vel ſupremo detonantem in æthere,
Ditémque fratrem poſſe conqueri ferunt?
Lubet furere, meúmque nomen ponere
Hos inter, altos quos habuit orbis deos.
Quam non relinquat Iuppiter Danaen? comas
Vinctus decentes plurima Phœbus roſa
Quos non amores linquat, amplexum deæ
Meæ vt petat nouo æſtuans deus rogo?
Sic procubuit illa ad mea genua, & oculis
Stillauit ab amicis leuem rorem, & pedes
Aſperſit: ora ſic nitida crinis fluens
Volitánſque ſine lege, tenui affecit noto,
Vmbrámque dedit. O qualis, & quantus decor
Oris futurus, ſi dolor roſeum decus
Non polluiſſet: & tamen in illo nitor
Qualis nigranti ſub polo Phœbo fuit.
Quò rapior infœlix? mulier vna efferet
Sic pectus & me vinculis trahet ſuis,
Oblitus vt generis mei, meíque nominis,
Et iuris eius, me penes quod ſit ſitum
Priuato vt affectu trahar, veneri meæ,

Et facibus illicitis miſer ego inſeruiam?
Vt vna mihi meis fouendis ignibus,
Concedat hora, cedat & libidini,
Soluatur ille quem cruce abreptum volunt
Leges, ſcelúſque? vincat ignes æquitas:
Procul recedant igneæ veneris faces:
Recedat ardor quicquid iniuſtum mouet.
Et poteris, infœlix, manus huic non dare
Cui principes dederint tot & quondam dei?
Quodcunque iuſſerit Amor, id non eſt viro
Spreuiſſe cuiquam tutum: Amor etiam trahet
Inuitum, & illi poſt miſer pœnas dabis.
Viuus vidénſque vis vt intereas, modus
Flammæ repertus cùm ſit hac vna tibi?
Reddetur ergo quem Stigia palus manet?
Iacta alea eſt, ſtat id facere quo me meus
Impellit amor, illa & ſuum virum habuerit,
Et ego quod æquum eſt, fecero, & libidinem
Expleuero: non hic meorum aliquis adeſt?
Solus ego tam diu? huc cito aliquis prodeat.

SANGA, SEVERVS.

AD ſum tibi iam preſtò: Quidnam eſt quod iubes?
Dicto citius illud procurato, impera.
Iam pruriunt dudum manus meæ mihi:
Iam lenta nimium torpuerunt brachia:

Nullum

Nullum diu iam dextra fudit ſanguinem.

SEV. *Tu frugi es homo & ,vt addecet virum, facis:*

Proin quod impero,volo facias. SAN. *lubens*

Fecero quod imperaueris.

SEVER. *Age ergo,fac vt qui meo Hippolytus agit*

Detentus in carcere,colorem vt nox ſilens

Abduxerit rebus,remotis arbitris

Mactaris,& poſito capite truncaueris,

Vt debitas ſceleri ſuo pœnas luat:

Tu trunca mihi,cùm iuſſero,membra afferes.

SANG. *Nulla tibi per me hîc nec alibi fuerit mora.*

SEVER. *Abi interim,& fac noſtra vt incep ta occulas.*

SAN. *Haud ſum monendus , iſta noſtro in pectore*

Fides,timórque,ſed magis celat fides.

SEVER. *Adeſt meus,qui me coquit totum,rogus.*

Plagis tenetur preda,quam volò, meis:

Ignes meos ſuperi,& amores proſperent.

PHILANIRA, SEVERVS.

ADſum tibi infœlix,viri vt vitam mei

Redimam vel auro, vel profuſis lacrymis.

SEVE. *Aurum mihi, ſceleſta, proponis? rei*
Firmanda legum dignitas eſt ſanguine,
Non auro & opibus: quid minus virum decet
Animo potentem, quàm ſequi fluxas opes?
Res ego mihi, non me obſequi rebus volo.
PHIL. *Ignoſce dictum, me meus cogit pudor.*
En ſupplicem iterum cernis, ad genua accido
Proſtrata, quámque nullius viri pedes
Senſere dextram, pedibus admoueo tuis:
Miſerere coniugis, preces patiens pias,
Placidúſque recipe, quóque ſublimem altius
Dij leuarunt, mitius lapſos preme:
Miſero datur, quodcunque fortunæ datur.
Da quæſo vt integrum viro ſeruem thorum,
Da me pudore viuere intactam meo.
SEVER. *Quò te magis negas, eò accendis magis:*
Placet hic mihi qui non facile cadit pudor.
PHILA. *Compeſce flammas dum nouæ ſurgunt, doma*
Frenis receptis inſolentem ſpiritum
Dum mollis imo ſpirat in animo puer,
Lentúſque primum facilè reprimi poteſt.
SEVER. *Radice firma iam meus ramos agẽs*
Amor, nec euelli, nec abſtrahi poteſt.
PHILA. *Breuis eſt voluptas iſta quæcunque eſt tibi*
Futura, cum me maneat æternus dolor.

Quid proderit tibi pudicitiæ meæ
Polluta famâ? quid breui fugiens venus?
SEVER. *Saltem ſatisfecero animo meo, magis*
Quò tu repugnas, hoc magis creſcit furor.
PHIL. *Sic te pudicæ coniugis maneat thorus,*
Annóſque fœlix cum pudica agas tuos,
Sic te faciat hac prole fœlici patrem
Quæ vota vincat veſtra fœlici indole,
Miſerere quæſo, quæq; adhuc animo nefas
Non paſſa ſum, ne corpore patiar: pudor
Illæſus iſte ſit viro meo ſacer.
SEVER. *Nil me preces hæ, nil mouent fletus, meus*
Has odit ardor quas trahis verbis moras.
Fuſo mariti flamma cedat ſanguine.
Iam ſerui agite, vinctum mihi extrahite vt caput
Hic ponat. PHILAN. *Ah, ah, pereat hic mihi potius*
Quodcunque famæ & nominis partum fuit,
Quàm ſic pereat hic quo pereo, victas manus
Iam cedo, ſancta dum mihi iures fide
Ratum futurum vt vir recipiatur meus.
SEVER. *Teſtor triſulca qui tonat flãma Iouẽ*
Tuus tibi coniux dabitur, habes fidem?
PHILA. *Tam ſancta verba me pudorémque opprimunt.*

CHORVS.

PVerum quiſquis pinxit amorem,
Cæcóque dedit pennas celeres,
Nudum quiſquis finxit, & arcu
Vulnera cunctis certa ferentem,
Diua genitum dixit Cypride,
Quæ vel gelidis ardet in vndis,
Flammáſque vomit, quam ſcitam artem
Dextrámque habuit?

Vidit puero nulla petitæ
Fœdera pacis certa relinqui:
Spargere miſſas orbe ſagittas,
Reddere cæcos, quos ſemel habeat,
Irrita nunquam mittere tela.
Vidit vt odit mollis opertum,
Matríſque ſuæ tedas referens
Igneus ardet.

Solis croceum quæ videt ortum
Regio, occiduos quæ cernit equos,
Et quæ calido ſubdita Cancro eſt,
Et quæ gelidæ ſubiacet Vrſæ,
Non hoc caruit quem fouet igne.
Ille iuuenibus flammam accēdit,
Senio feſſis lapſum reuocat
Corde calorem.

Hic

Hic calor imas venas penetrat,
Furtimque vorat, ſenſim inſeritur
In male ſanas flamma medullas.
Laſciuit amor, & blanditiis
Non bene cautos mollis fallit:
Quæ dat parua vulnera dextra,
Minus vt lato pateant ore
Altius vrunt.

Puer hic ſuperis imperat altis
Cælíque iubet ſede relicta
Falſo vultu terras colere,
Gentéſque ſequi.

Pauit pecudes pulcher Apollo
Poſita cithara, poſito plectro,
Laurea ſimul ac Daphne obiicitur
Luſit auena.

An non triuiam Pluto Dianam
Arſit, & humeros Europa Iouis
Preßit, niuei ſimul atque habuit
Terga iuuenci?

Hoc Herculeum robur cecidit
Simul ac forti pollice ſuſum
Vertit, fortis Sanſon periit,
Dauídque pius.

Quiſnam illicitos Biblidis ignes
Myrrhaq; neget? Quis Paſiphaës
In ſuppoſito furta iuuenco?
Cuncta domat Amor.

Hunc bene fractis pennis ſuperi
Dira ſerentem, cœlo exturbant,
Hoc ne repetens ſpargat ſolita
Aſtra veneno.

Mirum, miſer hoc igne Seuerus
Si perit ardens, flammiſq; modum
Non habet illis quas in blanda
Virgine ſentit?

Hic vehementi percitus æſtu
Rapit, iſta viri mota ſalute.
Vix bene tandem prodit emendum
Morte pudorem.

ACTVS TERTIVS.

Philanira, Seuerus, Sanga.

TANDEM (*quod heu me nunc pudet*) *tandem meus*
Cõceſſit ignibus tuis victus pudor:
vidit alienum Nox prementem me thorum,

Vidit

Vidit iacentem adulteram, & complexibus
Alterius hærentem, viro datam fidem
Luſámque vidit, & videns expalluit:
Et quæ rubente luna fulgebat rota
Currúque rutilo, dum meum exhorret nefas,
Pudibunda vultum manibus opperuit ſuu.
Intonuit altùm parte dextra Iuppiter,
Frequénſque poſt ignes ſonuit axis fragor,
Hymenæus atro triſte reboauit ſpecu.
Nunc ergo læſi da mihi aliquod nominis
Solatium, da quod ſupremum eſt præmium,
Suprema merces, coniugem meum mihi.
SEVER. *Et hunc adhuc tu me rogas, quem non ſinunt*
Leges, ſcelúſque tibi dare? PHILA. *O diuûm fidem!*
Eò redimus vt virum dare dubites?
Ludatur vt promiſſa mihi ſanctè fides?
Exolue tandem, exolue promiſſum virum,
Da quem redemptum tam graui ſcelere pudor
Suſtinuit. SEVER. *Vrges quæ parem mihi gratiam*
Communicato debeas lecto? venus
Quàm grata mihi, tam grata tibi etiam fuit.
PHILA. *Proh ſumme Iuppiter! ego ne parem gratiam*
Communicato debeam lecto, aut mihi
Tam grata fuerit quàm tibi noctis venus?

SEV. *Teſtatur ille qui mulier & vir fuit*
Thebanus olim ſumptus è lite arbiter,
Quo Iuno *quondam cum viro certans* Ioue
Damnata vero iudice cecidit. PHIL. *Tuam*
An liberas ſic fabulis vanis fidem?
SEVER. *Age improba, tua quæ prece & verbis necas*
Animum meum, obiectans datam tibi fidem,
Accipe ſolutam. Sanga, *progredere.* SANGA. *Quid hoc?*
SEV. *Curaſti heri vt dixi tibi* Hippolytum? SA. *Mero*
Eructat altùm dormiens, multus ſopor
Aſtricta membra ſic tenet, nullo vt modo
Queat excitari. SEV. *Fac mihi iam appareat.*
PHILAN. *O dÿ ſupremi, quis nouus meos tremor*
Pertentat artus? mihi riget formidine
Pectus, labaſcunt genua, ſunt tremuli pedes,
Gelidúſque ſudor ora ſuprema occupat.
SANG. *En tibi petitus: cernis vt grauis ſopor*
Extendit artus? PHIL. *Ah miſera!* SEV. *Sic dormiant*
Qui iura plebis nouerint euertere.
PHIL. *Ah ah miſera, video cruenta corpora,*
Video reuulſum coniugis ab humeris caput:
Meus cruenta cæde confectus iacet
Maritus: hæc eſt gratia? hæc monſtri fides?

Hoc ne violatus præmium refert pudor?

SEV. *Ne querere, promiſſam tibi exoluo fidem.*

PH. *Exoluis improbe, ſcelerate, perfide,*
Exoluis? O dij, quid tenetis fulmina,
Iuſtámque dextram? prodigium hominis, feram
Monſtrúmque quale non tulit Libicum nemus.
Quin, qua poteſtis plurimum, obruitis manu?

SEV. *Dare debui virum, tibi vt datur, fides*
Exoluitur. PH. *An hoc tu vocas dare, perdere?*
Teſtata ſic ludis deorum numina?
Sic fallis alto qui polo magnum intonans
Scrutatur imo quicquid abdis pectore?

SEV. *Non fallit, illi qui quod eſt gratum facit,*
Qui lance iuſta quod ſit iniuſtum expiat:
Non is placet qui ſcelere nouum adauget ſcelus.

PHIL. *Et me & fidem violans ſcelere cumulas ſcelus:*
Non æqua lex eſt, æqua dum credas ſequi,
Violare caſtum coniugis caſtæ thorum.
Dehiſce tellus, ſuſtines tantum nefas?
Dehiſce, méque cum pudore meo abripe.
Et tu tridenti qui vagos maris ſinus
Laxas agíſque, frenáque modo contrahens
Includis antris, & ſpecu vaſto tenes,
Plus ſat coactis mugientes in vadis
Emitte fluctus carcere vt rupto irruant
Ocius, & vndis me ſuis totam obruant.
An vllus ampli murmurans fluctus maris,

Vlla vnda labem ſceleris eluat mei?

SEVER. *Tranſacta res eſt, non quod eſt factum, queas*
Mutare, qui coruis fuit dandus cibus,
Præda alitibus, vt inſepultus turpiter
Iaceret errans, non ſatis datur tibi,
Quòd funeris vſum venit in? rape, ſepeli,
Atque iſtud in magnæ loco habeas gratiæ,
Permittitur, quem canibus eſcam oportuit.

PHILAN. *Quæ gratia hæc eſt? non redemptus ſic fuit*
Extinctus Hector, dum ferus curru incito
Raperet Achilles, & graui preſſus ſono
Peliacus axis pondere impoſito gemens
Contremeret: vxor integra recepit ſui
Corpus, quæq; ſarciri poteſt
Pecunia numerata: mihi coniux meus
Eſt emptus illo qui ſemel læſus pudor
Redire nunquam, nec reſarciri queat.
Cur vitam in iſta luce detineo amplius?
Cur viuo? nihil eſt, cuncta iam amiſi bona.
Animo mederi nemo polluto queat,
Mors ſola ſola eſt quæ ſcelus tantum expiet.
Ergo ora coram noſtra truculenta manu,
Dilecte coniux, vita mea coniux iaces
Iaces cruentus? O pia Deûm numina,
Si thura quondam poſita ſunt vobis manu,
Animóque puro, mihi date hunc quem olim dolor

Dedit

Dedit furorem Hecubæ, manus iſtas furor
Inſanus armet. SEV. Quod ſcelus, quam vim paras
Stulta mulier? PHE. Vt oculos tibi vnguibus eruam,
Clarúmque tollam candidi lumen poli.
SEVE. Stultum eſt in illum verba & vngues tendere,
Qui comprimere facta & minas poſsit malo.
PH. Audax marito mortuo mortis viam,
Iter ruinam mihi peto, miſeram haud potes
Me facere, fœlicem potes: quin me improbe
Tyranne, defuncto viro, morte eripis?
Quin ſocia mortis ſim, ſocia thori vt fui?
En propoſita eſt hæc tibi ceruix:
En tibi plenum trado iugulum:
Icta ſecuri ceruix concidat:
Gladius fauces iſtas reſeret:
Vel tu potius quæ tibi patuit
Aluum hanc miſeram, miſerúmque ſinum
Vius educto figito ferro.
Hic hic vterus mihi figendus
Per quem tantum ſum paſſa nefas:
Hoc reſerandum eſt pectus gladio,
Quod peregrino iunctum eſt pectori.
Mortem qui dabit, hic vitam dabit.
SEV. Compeſce lacrymas, & quod æquum eſt poſtula:

Neque te mori leges volunt, neque ego volo.
Quod reſtat vnum de viro curaueris
Vt tibi videbitur: nimis animum meum
Luctus adurunt, lacrymæq; exulcerant.

PHILANIRA.

SICCINE *noſtro plenus ſcelere,*
Corpore læſo, læſáque fide,
Ferus exultas, victórque volas?
Nunc quod ſupereſt, pudibunda, tui
Collige trunci membra mariti.
Impia, propera, facinúſque lubens
Agnoſce tuum: laceros artus
Quin petis, & quin ſuperincumbens
Quocunque modo pectore refoues?
Et ſi quis adhuc ſpiritus errat,
Siqua in trunco palpitat ore
Anima, hanc carpis, feruénſque legis?
Hippolyte infælix, Hippolyte,
Hæcne eſt facies ſyderis inſtar
Lucens, hominum lumina flectens,
Quæ iam miſero eſt horrida tabo?
Hi ſunt oculi quos nox tenebris
Tegit æternis, atque ſopore?
Hi ſunt humeri tam ſæpe graues
Armis, ſceptra vt Gallia tuentur?
Hæ ſunt fortes, niueæq; manus

Fortia

Fortia quondam ad bella ſolutæ,
Nunc iam gelida morte ſepultæ?
Non mihi licuit ſumma accipere
Verba cadentis, ſummúmque vale?
Non mihi licuit ſummum ebibere
Halitum, & oculos dextra premere?
Exanimis miſer, exanimis iaces.
Tete O ſaltem iam modò viuax,
Nunc perpetua nocte grauatum,
Sanguine ſparſum caput amplectar,
Oſculer iſtud quicquid reſtat,
Oríque tuo os iungam madidum.
Quid fugis? heu heu, dextráque excidis?
Video infœlix, quid me fugias:
Agnoſco meum ſcelus, exhorres
Mihi polluto corpore dextram
Pollutam: exhorres malè thalamo
Alterius quæ iuncta, effeci
Miſero vt caderes victima buſto.
Rectè exhorres cæſus coniugem,
Quæ ſi coniux caſta fuiſſem,
Nunc iam incolumen caſta tenerem.
Ego ego infœlix, ego te ferro,
Ego te gladio ſola peremi,
Saltem effeci vt properata magis
Eſſent duri facta ſepulchri.
Læſo veniam trade pudori:
Sic mihi pudor eſt læſus, vt eſſes

Mihi receptus,qui iam occubens
Me quoque fato perdis eodem.
Sic mihi læſus pudor eſt,læſum
Vt non dudum hunc ſol extulerit.
Hæc tibi pœnas dextera ſoluet:
vel morientis fauces ſtringet
Currens laqueus: vel ferrum addens,
Figam caſtum hoc tam malè pectus.
Lux eadem animam & crimen tollet,
Téque per vndas ſtigióſque lacus
Per pice torrens flumen conſequar.
Nos tamen vmbras placare prius
Quis vetat?hoc ſit muneris inſtar,
Deſint vt aquæ,lacrymæ ex oculis
Flumina tanquam nobis profluant.
His ego vulnera plagáſque abluam.
Capitis coniux recipe exuuias,
Accipe laceræ fronte capillos,
Ruptámque comam:
Hoc tabificum tergo cruorem.
Iam quod ſupereſt,charius auro
Tibi redemptum rapito corpus:
Rapito vt ſaltem poſt fata viri
Lactata minus oſſa quieſcant.

CHORVS

NOn miſer quiſquis ſemel euolauit
Corporis clauſtris,ſuperáſque ſedes

Patriam veram repetens, tenebris
Sparſa reliquit.

Non videt quæ nos, ſocerum recepto
Nuper ad lectum genero minantem:
Non videt natum tremulo parenti
Fata parantem.

Non & iniuſtas videt is nouercas
Dira priuignis aconita dantes,
Fratribus fratres miſero ferentes
Prælia marte.

Non videt latas populis ruinas,
Quas dat infeſtis gladiis & igne
Sæuiens paſſim trepido euocatus
Agmine miles.

Ecquid infœlix Philanira luges
Morte ſublatum, miſerúmque credis
Cui die ſummo data ſit ſupremi
Summa laboris?

Otio tutus fruitur, quietos
Cœlites inter, meliórque videt,
Quæ prius viuens ſtudio petiuit
Stultus inani.

Ridet inſanos hominum tumultus,
Claßico ridet lituíque cantu
Excitos bellis equites auernæ
Pondera cymbæ.

Sic cadens coniunx melior Seuero,
Quem ſuæ ſemper furiæ inquietum
Opprimunt, vrget ſcelus, & timore
Pectora pulſat.

Triſtis amiſſum gemis ob pudorem?
Irritam triſtis gemis eſſe ſanctis
Quam fidem verbis dederat vocato
Numine diuûm?

Chara res caſtus pudor eſt, redemptus
Perſico qui non bene poßit auro
Eſſe, nec cunctis quibus intumeſcit
India gazis.

Non quod inſanum variûmque vulgus
Iudicat, corpus facit impudicam,
Ipſa mens tantùm eſt, ſimul ac iniuſtæ eſt
Conſcia culpæ.

Peccat hic multò grauius ſubactus
Cui tuus fraude eſt pudor, & iugalis
Lectus excuſans fidei doloſis.

Pignora

Pignora verbis.

Iuſtus iniuſtos deus odit, idem
Perfidos ſimplex notat, intimúmque
Pectoris rimans, dat ab hoc notatæ
Pondera voci.

Sint procul fraudes, procul inuolucris
Tecta damnoſis pia iura, fallas
Simplicem vt ſexum, haud tamen ipſe diuûm
Numina fallis.

Vt gradu lento properet deorum
Numen ad pœnas ſceleris dolíque,
Pœna compenſat grauior moratæ
Tempora pœnæ.

Quiſquis admiſit facinus, paratam
Credat is factis aliquando mortem:
Tarda ſit quamuis, ſequitur pauentes
Pœna nocentes.

ACTVS QVARTVS

PROREX, SENEX.

Optata tandem Inſubriæ teti gi loca,
Tetigi petitos lõgo itinere limites
Emenſus ignotas equis laſſis vias:
Relicta patria, relicta coniux, liberi
Relicti vt externis agens in finibus,
Illiſque flaua quos aqua Ticini alluit
Paccata regi redderem Gallo omnia,
Manúque rege:em quicquid Italico ſinu
Vicinus orbis ſubditum Gallis tenet:
Qui magna cœpit, quæ ſacra exoluat fide,
Magníque magnas principis ſubiit vices,
Quem populus vnum ſpectat, vnum curia.
Quem contremiſcit, quem ſacer legum pudor
Vnum intuetur, & ſibi patrem legit,
Hunc eſt neceſſe quo loco & gradu altior
Timendus altum & proximum regi caput
Attollit, altum cernere, & fida manu
Regere: potentes magnus vt ſequitur honos,
Sic plurimorum caſuum impendet timor,
Quos expedire conſilio & induſtria
Non detur, adſit diligens niſi labor,
Quem nec voluptas rebus aduerſa optimis,
Nec vrbis antiquæ moretur dignitas,

Nec quæ locorum eſt plurimorum amœnitas.
Ergo ſuperbi tecta pateant atrij,
Pateat querelis omnium facilis locus,
Stat non minus firmare iuſtis legibus
Et iure, fidei creditam prouinciam,
Quàm dextera atque armis tueri fortibus.
SEVER. *Prudenter iſtud eſt videre: vinculum*
Nam ciuitatis, iura legéſque optimas
Semper putârunt, qui putârunt optimè.
Ferro tueri ſe minus tuto poteſt
Quàm lege princeps: hac amicum principem,
Illud tyrannum barbarúmque hominem indicat.
Libido magnis rebus annectit moram,
Sublata tollit. Comis vt ſeueritas
Commendat hominem, ſic ferox crudelitas
Et ſanguinea, comes odium ſecum trahit.
Princeps querelis omnium facilè patens
Auréſque præbens, quem libido non rapit,
Seſe tonanti proximũ facit Ioui.
Age ergo quo natura te ducit tua,
Sequere paratam quam tibi vides gloriam.
Quiſquis tuetur lilij Galli decus,
Orbem tuetur, qui premit, ſanctam premit
Quam rex tuetur viribus ſuis fidem.
PROR. *Quiſquis rigentem auro induit ſibi purpuram,*
Faſces ſuperbos geſtat, & faſces graues
Meminerit humeris eſſe mandatos ſuis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III ROMA

Siculóque monte grauius eſſe onus ſibi
Impoſitum, vt ignes gurgite ex imo euomit.
Quæ non adurit cura? quæ non naſcitur
Rodens quotidie vulture grauius iecur?
Aliena quiſquis ſuſcipit negotia,
Seſéque rebus implicat grauiſſimis,
Quas inuidia, ſuſpitio, odium, & iniuriæ
Sequantur, hic grauem putet capiti ſuo
Silicem imminere, qua ruente corruat.
SEN. *Aliena tractare vt fatear eſſe arduum,*
Sic principe ſub iſto minor quem humanitas
Non ornat ac fortuna, populo dicere
Leges, habenis comprimere facillimum.
Nec huic timendum quem probata diu fide
Vitáque, pericli extra aleam ponit. Timet
Qui genere & animo ſordido eſt. Satis eſt, modò
Qua tu procuras, ſubditi qui ſunt, fide
Pari procurent. Nam videre eſt plurimos
Quos cæca lucri cupiditas leges facit
Abolere ſacras: quos venus & inertia
Eneruat: Alios quos odia grauia coquunt:
Tundunt iacentes, vellicant, rodunt, vorant,
Non ad tuendum, aſt ad ruendum ſe rati
Miſſos: pauenti qualis incubat gregi
Leæna Lybica, preſſáque fame diſſipat,
Talis virorum ſe libido in hos agit,
Et fertur amens ſacra iura polluens.
PROR. *Teſtor perennes cælitum omniũ choros,*

Teſtor

Teſtor Dianam ſemipleno lumine,
Quodcunque tale viderit oculus nefas,
Vel mucro ſtrictus, vel vorax flamma eluet.
Accedat igitur quiſquis alienum ſcelus,
In ſe neſáſque ſenſerit, promptiſſimam
Qua ſubleuetur, viderit ſibi manum.

CHOR. *Proſperis nemo nimis inſoleſcat*
Rebus, & ſceptro tumeat ſuperbo:
Candidam lucem ſequitur procellis
Mixta tempeſtas, nitidóque ſole
Pulchrior alter.
Quicquid à magno minor extimeſcit,
Maior hoc magnus dominis minatur:
Omne ſub ſceptro grauiore ſceptrum eſt.
Res deus magnas celeri rotatas
Turbine mutat.

PHILANI. PVER.

QVid ora fletu tunditis?
Quid lacrymis rorantibus
Vultus tenellos ſpargitis?
An vos meus mouet dolor,
Meáq; tangunt lachrymæ?
Natura iamne vos docet,
Qui ſitis ætate, miſeri?
An vos parentem noſcitis

Deeſſe vobis liberi?
Matríſque veſtra fletibus
Parem dolorem penditis?
PVERI. *Mater mihi da purpuram.*
PHIL. *Tinctam patris vis ſanguine?*
PVER. 2 *Da pileum prius mihi.*
PHIL. *Ornaueris tuum caput,*
Cui iam patris periit caput?
PVER 3. *Non hic niger gratus color.*
PHIL. *Atqui dicatur inferis.*
PVER. I. *Non grata promiſſa hæc toga eſt.*
PHIL. *Nec grata quæ velant caput.*
PVER 2. *Ego hoc luto prouoluero.*
PHIL. *Cæno lutóque non ſatis*
Poteſtis ora tingere.
PVER 3. *Ego hanc togam diſrupero.*
PHIL. *Vobis aperta pectora,*
Lacérque quò magis ſinus
Percuſſus altis planctibus
Claro bearit æthere,
Hòc vos magis quod vos decet,
Veſtro patri ſolueritis.
Ignara caſus pectorá,
Ecquid remotam purpuram
Lugétis? & pictas togas
Ecquid miſelli poſcitis?
Vobis nigra vt ſunt tempora,
Quin nigra habetis omnia?

Atrum

Atrum calorem luctibus
Quid congruentem ſpernitis?
Mortuus, heu heu, vobis genitor,
Genitor denſis occubat vmbris,
Occubat alta nocte ſepultus:
Occubat, heu heu, truncus capite
Magni reſtans nominis vmbra.

PVER. I. *Mater.* PVER. 2. *Mater.* PV. 3 *Mater mater.*

PHIL. *Vobis ego, ego ſola ſuperſum,*
Quam vos non iam dicere matrem
Debetis: ego iniuſta nouerca,
Quæ me & veſtrum patrem prodidi.
Vos ſi teneris ſenſus in annis,
Si qua eſt ratio, plangite mecum
Impia veſtri funera patris.
Tenerum pugnis tundite pectus:
Promptas pueris ducite lacrymas
Non iam in veſtes, verùm in patrem:
Si nihil aliud datur ætati
Dicere quod queat, aut poſsit queri,
Saltem veſtrum dicite patrem.
Animos moueant principis æqui
Anni teneri: tum quod deerit
Voci, hoc veſtro dicite geſtu:
Tendite ſaltem brachia crebri,
Quæ pro vobis parua loquantur,
Si reuocari vobis genitor

Nequit, inferÿs ſaltem tumulo
Detur ſimili morte Seuerus.
Hoc mihi leuius læſum fuerit
Corpus, leuius fatum patris,
Leuiórq; cinis, ſemel vt fuerint
Tincta hoſtili buſta cruore.

PROREX, SENEX, PHILANIRA, PVERI.

EC *quis patentes verberat planctus fores?*
Quis queritur? Eccui non licebit conqueri?
Quiſquis miſer erit, vt miſer ſit, me ſuæ
Is miſeriæ ſtatuet modum. Huc *iam prodeant*
Quos eſſe miſeros veto. SEN. *Mihi pueri ſonus,*
Et conquerentis fœminæ vox aduolat.
PROREX. *Siſtantur.* SEN. *Adſunt*, En *vides, liuentibus*
Vt vultibus plenum ſit os lacrymis? grauis
Neſcio quid altùm pectore occludit dolor.
PROR. I*am noſco, noſco*, Accede, P*hilanira* , *& refer*
Quis te dolore percitam moueat furor,
Quid veſtis iſta, quid lacer vultus velít,
Aut vnde tam fœdo obſiti tibi liberi
Pædore, quæ domum tuam clades grauat?
PH. Generoſe P*rorex, ego per hoc tuum genu,*
Et per ſupremam, quæ hic tibi eſt, potentiam,
Hoc oro ſupplex, ne roga quod me dolor,

Dolor

Dolor, meúſq; ſupprimere cogit pudor.
En aduolutos liberos pedibus vides,
Vides iacentes, veſtibus pullis graues,
Quos caſus ingens, quos calamitas opprimit,
Miſeróſq; agit miſerè, priúſquam anni ſinant,
Ratióq; creſcens, noſcere quid amiſerint.
Hi te, quibus poſſunt, precantur vocibus,
Nudi relicti miſeri & inopes ſupplicant
Quos iam pater, PVERI. *pater, pater.* PRO. *Quid vox ſibi hæc,*
Quid nominatus vult pater? PHIL. *Reliquerit,*
Ego miſera mater miſerius prodidi.
Hi te precantur, recipe deſertos patri,
Matriq; proditos, vides vt brachia
Tibi parua tendant! ſis pater miſeris. PVERI. *pater.*
PROREX. *Suſpenſa quid me hæc verba ſuſpenſum diu*
Tenent? apertè quod cupis loquere. PH. *Eloquar?*
An potius infœlix ego, meum dedecus
Sileam? meum prodam miſera palam ſcelus?
vir meus, heu heu, princeps optime,
Vir iacet, & qui vitam eripuit,
Idem quoq; me mihi ſurripuit,
Me cum charo coniuge perdidit.
PROR. *Salua vt loquaris, perditã quid te putas?*
PHIL. *Fœmina ſalua eſt cui læſa fides,*
Læſúſq; pudor? cui pollutum

Sit violato coniuge corpus?
Eſt mihi raptus coniux, & pudor.
PROREX. *Quis cædis huius author, & mali tibi?*
Quis tanta apud nos ſcelera moliri auſus eſt?
PHILA. *Debeo diro hæc cuncta Seuero,*
Ille mei vnus raptor amoris,
Raptor & idem eſt ille pudoris.
PRO. *Quæ cauſa cædis? cauſa quæ fuit tui*
Pudoris expugnati? id edoce palàm.
PHILA. *Carcere vinctum hic clauſit cōiugem,*
Dum miſeris ego natis liberum,
Dumq; mihi ardeo nec precibus queo,
Nec fletu quicquam, quod ſolum
Mihi reſtabat, pudet effari,
Vah pudet, heu heu, me miſeram, meum
Corpus, honorem, famam prodidi.
Dum ſpero vt ſanctè mihi iurat
Reddi ſaluum læſa maritum,
Reddi læſo corpore corpus,
Infœlix, infœlix vmbram
Solùm accipio, & triſte cadauer.
Sic violatus deperijt pudor:
Sic mea caſus vita maritus.
PRO. *Proh ſumme cœli rector, audis & vides*
Tam lentus iſta ſcelera? tam lenta manu,
Lentéq; fulmine triſte vindicas nefas?
Huc, huc, ſceleſtus prodeat: noſcat thorum
Quid ſit alienum inuadere; Mea tu, tuas

Compeſce

Compeſce lachrymas: dabitur amiſſus pudor,
Tuóq; tandem conſuletur nomini.

SEVERVS, PHILANIRA, PROREX.

CEſſas anime, & vnius aduentu paues?
Pudet fateri pauco, neſcio-quod mihi,
Neſcio-quod animus grande præſagit malum:
Mens conſcia mali, pectus exagitat metu.
Audebo contra, vltróq; prodibo reus.
Pars eſt ſalutis impudentem eſſe, & metu
Poſito procellas imminentes pellere, &
Audere contra. PHIL. *Obſecro, retine me, ſcelus*
En prodit ad me, prodit ex cuius manu
Mors eſt marito, mors mihi data coniungi.
SE. *Tuæ miniſter legis, hoc primùm peto,*
Ne quas ſuis expreſſerit lachrymas dolis
Fletuſq;, potius ad fidem te concitent,
Quàm quæ probata tamdiu tibi eſt fides
Mea & æquitas, qua nil prius tibi ſcio.
Video quid iſthæc fletibus velit ſuis,
Quid conqueratur, quid ſtruat: Queritur virum
Populum prementem, iura tollentem omnia,
Cuius rapinis nil ſacrum, libidini
Nil inuium, vt noſtræ ferunt leges, neci
Addictum, & eius ſanguine repreſſum ſcelus.
Punire ſontes, ſcelera tollere, & dolos,
Si crimen eſſe credis, hoc crimen meum eſt.

PRO. *Qui quicquid æquũ ſuadet & lex optima*
Procurat, id agit quod probati eſt iudicis.
Laudo nocentis ſupplicia, laudo crucem:
Sed vnde iuſtitiæ nouum hoc prodit genus,
Vt ſanguine viri coniugis pudorem emas?
Quis iſte mos eſt polluere ſanctum thorum?
SEVE. *Quia impudicã credidi.* PH. *Impudica ſim*
Sceleſte? nomen ſic meum etiam tu palam
Traducis? hic, hic eſſet integer mihi
Pollutus à te ni foret primùm pudor.
PROR. *Quando modo alio non poteſt læſum*
decus.
Læſúmq; reddi nomen huic, primum hoc volo,
Statuo, iubeóq; vt hanc tibi ſociam thori
Iugalis adiungas. SEVE. *Quid hoc rogo, iubes?*
Ignoſce, non poſſum. PROR. *At velis poſſe, id volo.*
PHIL. *Egóne periuro viro, homini perfido*
Per quem iugalis eſt mihi raptus thorus,
Tedæq; primæ, quo cruentus vir iacet,
Ego huic, ego iungi potero? ne me id iube
Quæſo facere, quod non meus ſinit dolor.
PRO. *Ne refuge quas firmare vos volo nuptias.*
SEVER. *Quàm refugit, ego refugio, quámq; odit*
thorum,
Odi. PHIL. *cruento ne iube iungi viro.*
PROR. *Iubeo pudori quo tuo ſic conſulam.*
SEVER. *At non honori vt conſulas meo iubes.*
Fortuna diſpar, vitáq; & auitum genus,

Sic malè iuuencos adigis ad iugum impares.
PRO. *Et copulari pertinax tedis negas?*
Societis animos, Capite fidei hac pignora:
Prenſate dextram: Quid truci facie ſiles?
PHIL. *Egone mariti ſanguine aſperſam manum*
Prenſabo miſera? SEVER. *Ego quem thorus diues manet,*
Quem virgo nobilis genere, quem liberi,
Ducam tribus iam præpeditam liberis?
PROR. *Id ego laboro ne quis hanc adulteram*
Dixiſſe poſsit, nec te adulterum virum:
Proin coactus, an bona cum gratia
Malis iugalis vinculum thori, vide:
Vt dicere mihi, ſic facere promptiſsimum.
SEVE. *Non ſi profundis niuibus ire me iubes,*
Pigeat gelatis Caucaſi ingredi iugis,
Non ſi per ignes ire & inimica agmina,
Morer cruentis enſibus pectus dare,
Certum eſt facere quod vis, pati quicquid iube.
PHILA. *Ego potius quã te mihi inimicũ velim,*
Vt ſeruiam famæ meæ manum dabo.
PROR. *Vos ite iam iam intro, ſonet iam tibia*
Pæana lætum, iam ſonet hymen clarius.

CHORVS.

QVi ſparſos homines, qui variis vagos
Errantéſq; locis more feræ, manu

Sic leges ſtatuens, non velit vt pares
Telis quas tenui ſtamine diuidens
Texit multiplici triſte animal pede,
His vt ſeſe animans craßius explicet,
Summo proximus eſt Ioui.

Nunc aſtris igitur quin caput inſerit,
Sublimíq; ferit ſydera vertice,
Qui ſic doctus obit iuſtitiæ vices,
Vt deſerta prius quæ ſibi credita eſt
Dum vir morte cadit, dum rapitur pudor,
Spem præter, miſeris inueniens modum
Rebus, nunc thalamis, nunc facibus nouis,
Nunc ſit coniugio potens.

Quis credat? ſociæ fœdera dextera
Nunc dant & capiunt, quos odium prius
Diſiunctos habuit: vultibus in viri
Hæret nupta ſui, ſponſus in illius
Et forma & gremio nititur incubans.
Quæ furtim rapuit baſia, nunc palam
Coniunctus thalamo, depoſito metu
Omni, liberius capit.

Ad tedas veniant numine proſpero,
Qui cælo ſuperi, quíq; freto imperant:
Adſit qui facibus legitimis fauet
Præcinctus roſeis tempora floribus:

Adſit quæ gemini præuia temporis
Tardè ſtella nouis coniugibus redit:
Iam ſpargat radios aurea lucidos,
Et nocti reuehat diem.

Iam nunc lætus hymen carminibus ſonet,
Iam nunc aula ſacris luceat ignibus,
Et paſſu præeat marcidus ebrio
Auſpex, tecta ſtrepant, omnia rideant,
Cellæ pampineis muneribus fluant:
Hic ſit plena Ceres, funereus procul
Excedat color, hinc ſint gemitus procul,
Sint & ſolliciti metus.

ACTVS QVINTVS.

Nuntius, Chorus.

O Spes inanes! ô ſtudia hominũ inania!
O fluxa vita! quàm nihil cõſtans tibi
Nihilq; certum eſt! turbidis negotijs
Quàm cæca voluis pectora & fallacibus
Mox obruenda miſerè ineſcas gaudijs.
CH. Quid hic ſibi vult ſermo? quid vultus pauẽs?
Et quid querelæ? fare quid portes noui.
NVN. O mira diuûm conſilia, miri exitus,
Si tam repente proſperæ res concidant.

Heu,heu,quibus iam rebus,aut opibus fidem
Habere poßis? CHORVS. *Quid rogo hoc?* NVN. *modò qui potens*
Diuéſq; ſtabat,gaudium & merum crepans,
Cinctus fluentem fronde odorata comam,
Inſignis oſtro & purpura,nunc iam miſer,
Miſer Seuerus cæſus aduerſum ſolum
Corpore cruēto preßit. CH. *Hem,quidnā noui eſt?*
Effare caſum tam repentinum ordine,
Cauſámq; nobis,& necis ſubitæ genus.
NVN. *Primum id tenes vt imperante principe*
Coactus eſt tedis iugalibus caput
Submittere,nouam & ducere ſibi coniugem.
CH. *Id teneo.* NVN. *Vt ardēs inter hos odiū prius*
Exarſerat,amor ſic iugo exarſit nouo
Maior:parantur vt calentibus focis
Thuricremi odores,& ſacra ex pinu faces,
Philanira velum capite deponit,togam
Triſtémq; amictū deſerens,oſtrum induit.
Qualis nigranti nube pulſa Cynthia
Pleno coruſcat inter aſtra lumine,
Ignéſq; noctis inter,almis ignibus
Splendet niteſcens:talis iſta ſplenduit,
Vt ora triſti nube deterſit color,
Roſeúmq; vultum viuus infecit rubor.
Mirantur omnes,& beatum exiſtimant
Factura quem ſit è ſuo thoro patrem.
Tum pia Seuerus ibat auro & murice

Diues,ſuperbus ore,vultu turgidus:
Quem pone magno nobiles numero viri
Circum ſtrepebant.Vt ſacra iuncti fide
Solennibus verbis fuerunt,& ſuas
Iunxere dextras,& amor atq; hymen nouus
Tedas requirunt,tum replentur odoribus
Ignes calentes,ſerta dependent domo:
Vbiq; plectra,vbiq; tibia & lyræ
Cantúſq; læti pectoris ſigna inſonant.
Vbi ſatis alternis pedibus icta eſt humus,
Satis epulis,ſatis choræis eſt datum,
Idem iugalis lectus vtrumq; accipit.
Quid cætera moror?quàm referta gaudijs
Nox tota viſa eſt,tam ſequens doloribus
Aurora fuit. CHOR. *Age ergo mihi reliqua expedi.*
NVN. *Iam Phœbus aureum reuexerat diem,*
Siccans pruinas humidæ noctis,ſuæ
Splendore lucis,cùm venere plenus redit
Seuerus,vnà nupta noua,ſimul ac pede
Proregis atrium tetigit ille,euocat
Prorex vtrumq;,de thoro & tedis rogat,
Placere tedas & thorum iunctum ſibi
Vterq; dicit gratiámq; maximam
Habet recepti muneris. Solio ſedens
Prorex acerno linguam vbi tenuit diu
Vocémq; preſſit,ora recludit ſono
Non expetito:ſic enim infit protinus:

Quod

Quod expetendum fuerat, vt mulier ſibi
Pudoris offenſi reſarciret decus,
Id ſtuduimus, ſacris tibi cum nuptiis
Eſt iuncta: iam non hæc adultera dicitur,
Sed vxor, illa ſic ſui tibi copiam
Fecit vt amantem coniugem addecet virum:
Iam nemo furta dixerit, ſacer thorus
Tedæq; ſacræ, quæ iugo lecti tegant.
Verùm quòd ignes impudicos arſeris,
Victúſque flammis, & venere mala, dolos
Fraudéſque texens, huius & lectum & vitam
In iura legéſque rapueris, iſtud ſcelus
Tuo neceſſe eſt expietur ſanguine.
I, lictor, arcto fune colliga manus,
Velóque triſte caput obnubito,
Et enſe ſtricto medium ab humeris ſcindito.
CH. *Quid tum Seuerus? quid noua vxor protulit?*
NVN. *Vterque pallens ora pudibunda obtegit,*
Furtímque lacrymas fundit, & ſupplex genu
Deoſculatus, molliat ſententiam
Et dura verba poſtulat: Cupidinis
Hic vim recenſens, & graues veneris faces,
Suúmque genus, & integram hactenus fidem,
Auertere à ſe triſte ſupplicium ſtudet
Philanira mærens, orat vt ne tam cito
Nupta & vidua ſit, néue ſperatum thorum
Virúmque tollat, & ſuis factum patrem.
Hic durus illa ad verba non minus ac ſilex

Cautéſque dura perſtat immotus: miſer
Quæ cùm Seuerus vidit, & nouit diem
Fati ſupremum, iam valeat (ait) hominum
Sperata vana gratia & vanus fauor.
Valeat petitus tot meis ſtudiis honor,
Honor caducus, vanus, & fluxus: preces
Quid fundis iſtas & teris fruſtra? In viris
Res ſtulta fidere in quibus non eſt ſalus:
Tutius in illo qui nocentes & reos
Cùm ſupplices ſunt, innocens, pius erigit.
Ille ille fuerit, quem penes vita & ſalus
Secura ſtabit, qui nece hac vitam mihi
Rependet æternam, & meum clemens ſcelus
Quodcunque fuerit, homine mitior, eluet.
Accede lictor, colliga manus, caput
Ne obnubito, mihi non necis timor animum
Facit pauentem: capite non moto, manus
Ictum excipiam, & vmbras ſilentis AEaci
Viſam cruentus. Fatus hæc, flectit genu
Prius precatus pauca ſuperos, ſpiritum
Cœlitibus ipſis mãdat. CHOR. *At cõiux?* NVN. *pauens*
Dolore tota ſternitur. Quid cætera
Iam remoror? Ille, dum tremunt cuncti, caput
Protendit impauidus, & enſem quem videns
Exhorret, ille expectat intrepidus: agit
In colla nuda lictor enſem, decidit
Ceruice ſciſſum palpitans adhuc caput,

Tedáſq;

Tedáſque quærit, & nouam ſibi coniugem.

CHO. *Quid illa?* NVNT. *ſanguis corda ad intima refugit,*
Pauore conſternata corruit, humeris
Vlníſque cuncti qui videbant hanc ſuis
Cepere, frigida refouere, & thoro
Dedere molli. CH. *Sed quis huc prodit?* NVNT. *Tace*
Tace Seueri miſera coniux eſt, ſuos
Iamiam nouabit, vt ſolet queſtus, preme
Linguam ſonúmque & conquerentem percipe.

PHILANIRA, SENEX, CHORVS, NVNTIVS.

Quid mihi fruſtra fata negatis?
Quid mihi mortis tollitis arma?
SENEX. *Vince prementem corda furorem,*
Aeſtus tumidi vince doloris.
PHILA. *Vincam qui me fertius angit*
Quàm crudeli morte tyrannus?
Certum eſt funus funere premere.
SEN. *Funera fruſtra funere cumulas:*
Durum eſt ſceleri ſociare ſcelus.
PH. *Ergo marito nuda priore*
Nunc cede noua, nuda recenti,
Quo ſpes thalami, quo ſpes prolis,
Tantis rurſus cladibus aucta,
Viuere potero ſola ſuperſtes?

SEN. *Qualem ſuperi miſeris vitam*
Sortémque volunt, æqua ferenda eſt.
PH. *Sola ſepultis morte maritis,*
Toties moriens producam animam?
Occumbe, occumbe, infœlix, te his
Subito ærumnis eripe: fruſtra,
Fruſtra vos ferrum, vos gladios
Rapitis: nulli fata negari
Optata queunt: Portia Brutum
Morte ſequuta eſt, mortíſque genus
Crudele ſibi viuax reperit.
SEN. *Siccine mortem quæris pertinax?*
Vitámque fugis quam quiſque petit?
PH. *Audio noto coniugis ore,*
Audio nota voce vocari:
Illo ibo nocens, ibo manúque
Mihi repperiam funeris horam:
Inuia mors eſt nulla volenti.
CH. *Quò ia rapitur? aut quod animo voluit ſcelus?*
NVN. *Hanc cõſequar, & oculis, & aure ſedulo*
Illius excipiam animum, & vitæ exitum.

CHORVS.

Quàm luctum minuit ſpes noua commodi,
Tam ſublata nouis fletibus aggrauat.
Infœlix ſibi dum ſpem videt irritam
Concepti thalami, dum viduam thoro,
Priuatóſque nouo dum patre liberos
Caſu fracta nouo furit.

FINIS.

PETRVS TRAGEDIA.

PERSONAE

NERO	PETRONILLA
SENEX	POPPEA
ANICETVS	PRAEFECTVS
PETRVS	NVNTIVS
LINVS	CHORVS CHRI
CLETVS	STIANORVM.

ACTVS PRIMVS.

Nero.

TAndem ſepultis & ſilentibus hoſtibus,
Suo cruentis ſanguine, optandum mihi
Quod fuerat vnum, liberum Imperium Nero,
Liberáque ſceptra poßideo: libidinem
Iam nemo contra, virus inſpirat ſuum.
Iam rabidus ora non ſua expandit canis,
Meáſque in arces ſæuiens demurmurat
En, qui patere iura credebat ſibi
Mecum Quiritum, qui ſuperbis faſcibus
Vnà potiri turgidus vana indole
Volebat vnus, concidit Britannicus,
Concidit, & exhauſto veneno liuidus
Ceßit Neroni: quæ ſuperbus legibus
Verbiſque, ſceptris frena ponebat parens,
Tandem meo me regere permittit modo,
Quódque mare nobis naue reſoluta minus,
Hoc dextra tandem militis noſtri dedit.

Superbus ille & inſolens exercitus
Quondam mei doctor ſibi cuncta arrogans,
Incautus ore dum minus cauto ebibit
Lethea pocula occidit Burrus,*mihi*
Fruenda linquens regna ſine ſocio & metu:
Iactator ille & ſomnia ſua venditans
Nugáſque doctor, dum ſua fingit manu
Studióque ſceptrum, regéque ac puero putat
Abuti, vt ipſum tetrico vultu & minis
Atque puerili exterreat totum metu,
Vultus minaces poſuit, edoctus virum
Aliis moueri rebus & puerum, animos
Augere faſces & recepta maximi
Iura imperij: is ego cuius expaui manum,
Expauit iſtam, & ſanguine effuſo ſolum
Cruentus plangens liberum regnum dedit.
Iam me beatum ſemine, & thalamo ſuo
Poppea reddit, & meis amplexibus
Cedens, priori repudiata coniuge,
Quæ iuncta demens fuerat inceſta face,
Fœcunda partu Cæſaris adauget genus.
Ferro repreſſa eſt vilitas obmurmurans,
Suáque nouit clade quicquid Cæſari
Placet probare: quod mihi libet, licet:
Fas eſt Neroni *quòd ſuæ genti eſt nefas.*
Aquilas veretur Claudio ſub Cæſare
Septena Tanais ora qui populus bibit,
Veretur & qui proſpicit vagos Scythas,

Viduáque turba littus ambit Ponticum,
Tremiſcit omnis qui madeſcens imbribus
Auſtro furenti ſubiacet, pallet leui
Subiecta vento Perſis, & Tithonia,
Luſtrata primùm lampade regio, & face,
Quæ ſolis occidui tepeſcunt littora.
Quid? Contremiſcat ſolius ſub nomine
Eurus, Zephirus, & Auſter, & Septentrio,
Et iam repente tãrtari ex antro, mihi
Sit gens coacta quæ cruce in vana ſuos
Extollat animos, & tumeſcens Cæſarem
Nullum, & Neronem præ ſuo chriſto putet?
Exorta Tartari ex ſpecu ſit vilitas
Fallaciter vultus ſuos exterminans,
Quæ mihi nouas leges ferens, populum meum
Seducat audax, & nouum ritum inuehat?
Sit Chriſtus vnus natus hic recens, Ioue
Qui detonante pulſo, & extruſo polo
Non ſolus vnus ſit mihi datus Iuppiter,
Sed ſede me & ſceptro meo priuauerit?
Sit Petrus vnus fraude magica ſimplicis
Errore vulgi nomen aucupans ſibi
Titulóſque vanos dum ſuum Chriſtum canit?
Sit qui nocenti virus infundens manu,
Lethale vulnus Martiæ genti inferat,
Nouáque ſecta Dardani prolem inquinet?
Sit qui Simonem vinculo aſtrictum mihi
Amoris, olim per nefas inuiderit,

Et hoc iacente is carpet auras inſolens?
Ignaue, iners, eneruis, & (quod maximum
probrum Neroni ſtante fortuna reor)
Inulte, ceſſas? quin datur ſuis comes
Pœnáſque Romani patitur incendij?
Satis ſatis iam factus immemor mei
Miteſco Cæſar, ſanguinem nullum hauriens.
Iam iam cruoris exeat ſpectaculum.

SENEX, NERO.

QVis te furore percitum tentat dolor
Cæſar? cruoris quod petis ſpectaculum?
NE. *Suſpecta quo gens legibus viuens ſuis*
Ediſcat vni Claudio tandem obſequi.
SE. *Quid ſi veretur conſulitque Cæſari?*
NE. *Hæc non veretur quæ nouum regem inuehit.*
SE. *Quid ſi illa viuit legibus ſanctiſſimis?*
NE. *Leges putentur quas ſuis Cæſar dedit,*
Sanctúmque nil ſit niſi quod ipſe exſcripſerit.
SE. *At dum libido cæca quod ſuggeſſerit,*
Tentatur, in fas & deos multa egeris.
NE. *Iuſtum eſſe facile eſt quem timor nullus premit.*
SE. *Timoris vnum remedium & grauiſſimum,*
Si iuncta rebus Cæſaris clementia.
NE. *Virtus Neroni maxima hoſtem extinguere.*
SE. *Seruare maior perdere vt poſſis manu.*

NE. *Seruare ſtultum eſt quo ſuperſtite occidas.*
SE. *Non quem tuetur vinculum legum, occidit.*
NE. *Leges tuentur principem, at ferrum magis.*
SE. *Nullus ſatelles eſt fide potentior.*
NE. *Cui ius in armis eſt ſitum, haud eget fide.*
SE. *Ius non putandum quo laborat æquitas.*
NE. *Ius puto quod vtile eſt potentioribus.*
SE. *Mactare ſontes principi vtiliſſimum,*
At innocentes perdere, eſt grauiſſimum.
NE. *Non vllus hoſtis principi nocentior,*
Quàm qui nouarit publicæ ſtatum rei.
SE. *Princeps nec vllus gratior plebi regit*
Quàm qui remittens de ſuo iure optimus
Deuincit in ſe lenitate ſubditos.
NE. *Contemptiorem lenitas ſemper facit.*
SE. *Facit odioſum ſæuiens atrocitas.*
NE. *Agreſte vulgus ferrea niſi manu*
Virgáque ducas, inſolens tibi imperat.
SE. *Vt iuſta quæ ſunt iuſſerit princeps nihil*
Virga fuerit opus, manu vel ferrea.
NE. *Nil eſſe Romæ iuuerit ſic Cæſarem*
Si præter humile vulgus hic nil audeam.
SE. *Maior futurus Cæſar, vt ſublimius*
Quò res tulerunt, te geras ſummiſſius.
NE. *Fortuna nulla eſt ſi minus frui datur:*
Facere quod optes, quod velis, hoc Cæſarem
Eſt eſſe, tantum hoc vulgus & rex intereſt
Quòd rex id audet quod velit, vulgus timet.

SE. *Læſa populi patientia eſt tandem furor.*
NE. *Eſt vanus omnis qui ſecuri reprimi*
Tollique poſſit enſe diſtricto furor.
SE. *Iam non tuorum viſus es ſatis cdium*
In te excitaſſe, dum tuus frater tibi
Elatus, oculos, lachrymáſque in ſe omnium
Luctúſque flexit? dum tua genitrix cadens
Teſtata quondam eſt ventris oppreſſi ſcelus?
Dum Burrus author ſortis inclytus tuæ
Cecidit recepto fauce mortis poculo?
Dum grandis ille doctor & prudens ſophus
Venis reſectis corpore cruento ſolum
Tingens timore liberum ſceptrum dedit?
Dum tu receptæ coniugis nouæ thorum
Tandem ſepulta fulciiſti Octauia?
Et cæde vulgi triſte repleſti forum?
Tellus ſuorum ſtrage tincta ciuium
Sanguine redundans trunca capita exhorruit,
Et tota lucens Roma miſſis ignibus
Expauit ignes culmine à ſummo ruens.
Cecidit receptis victima ignibus innocens
Turba, & alienum ſanguine abluit nefas.
NE. *Quonámvſque tandem virus effundens tuum*
Inſane perges monitor, in nos obloqui?
Quod Roma nobis, quod Senatus pareat,
Et quod timor Neronis exprimat preces
Humiléſque voces munus hoc ſummi eſt Iouis:
Retinere princip ſuo graues viros

Summo ſuperbos genere quæ veſania eſt?
Cecidere meritò pertinax quorum furor
Fouit miniſtros ſceleris in cædem meam,
Cecidítque noſtris quiſquis obſtitit thoris,
Viſúmque nobis in quirinis ignibus
Ab arce Troianûm placuit incendium,
Placuit & illa quæ data rogis victima
Tot monſtra nobis legis inuexit noua,
Tollenda ferro eſt illa gens radicitus,
Qua religio cultúſque verus tollitur.
Iam tu moleſtus eſſe verbis deſine,
Liceat Neroni facere quodcunque improbas.

ANICETVS, NERO.

SAtis ſatis iam blatterator inuidus,
Delirus, audax, numen abnuens tuum
Detraxit vni, & frigore ſuo metiens
Metúque Cæſaris manum, faſces tuos
Depreſſit, age natura quò te & ſors vocant,
Progredere, iam tu turpe non crede id tibi
Facere, quod auſi qui polos modò incolunt.
En qui pia virtute diuorum in choro
Auguſtus agitans nectare vtitur Iouis,
Tabula loquente funeri addictos truci
Quot interemit? fixa pro roſtris patres
Videre cæſorum capita ſanie graui
Stillante vultus ciuium horridos, forum

Videre nobilium oſsibus totum albicans:
Triſtes Philippi bella ſenſere impia,
Siculóſque fluctus & trepida Nili oſtia
Victi vt cadunt effuſus infecit cruor,
Aegyptus vt ducis Quirini ſanguinem
Exhauſit iterum, quod diu geſtum fuit
Tandem ſepultum eſt ciuium bellum, & metu
Retinuit imperium ſuum victor, fide
Armíſque Cæſar militis tectus ſui,
Relatus ille vt lucida inter ſydera
Numerum deorum auget, manebunt te quoque
Tandem aſtra ſtricto ſi prius ferro, tuo
Hoſtile quicquid videris ſceptro occupes.
NE. *Perge imperata quæ vides tibi, exequi,*
Stat enſe, flamma tollere hoc nouum genus
Hominúmque ſectam, qui ſua inflantur cruce:
Quocunque ſe receperit loci, & ſpecu
Quacunque texerit, magus homo & inſolens
Petrus nocentis Imperator agminis
Huc pertrahendus vt Symonis obruti
Mactatus idem ſic necem nece expiet.
ANIC. *Rumpam, reuellã, quicquid obſtabit, ruã:*
Ego vel in atri ditis excutiam domum,
Vbi vbi ille fuerit, ſe dabit luci tamen.

CHORVS.

QVidnam oblita ſui turba Quiritium
Mauertíſque genus languet? & enſibus

Ignauis patitur ſanguineum ſibi
Vſque inſtare virum, qui poſito iugo
Ceruici miſeræ, libera quæ prius
Tot ſeclis fuerant tempora, fortium
Virtute empta virûm nunc malè ſupprimens
Indigno quatiat modo.

Hæc virtus veterum viſa, tumentium
Ne regum imperium ſtupráque perpeti
Poſſent, conſulibus Tarquinium genus
Nomen regificum ceſſit, adulteri
Leto Tarquinij & pudor & cruor
Leſæ virginis eſt vindice dextera
Exceptus: cecidit natus, & additum
In pœnam exilium patri.

Quæ quondam gladium Virginij patris
Excepit tepidum Virginia in ſinum
Vt caſto caderet corpore, manibus
Poſt paulò inferias virgineis, manu
Percepit populi vindicis & patris
Mœrentis lacrymis, carcere vt Appius
Concluſus, laqueo quem malè ſpiritum
Flamma fouerat, expuit.

Auſa eſt impietas impia filiæ
Per Regis laceri liuida ſanguine
Patris membra ſui curribus incitis

Inuexiſſe rotas,cùm pauitans equus
Horreret ſcelus & vector,at impium
Non paſſa eſt facinus Roma,dedit ſuo
Pœnas nata patri,tum ſocero gener
Sceptro vt Romuleo cadit.

Quidnon prodigij terra dedit,Nero
Vitali ſimul ac redditus aëri
Infecit ſtigio ſydera ſpiritu,
Atque hanc ſanguineo preſſit humum pede?
Plus gaudet tepido ſanguine Claudius,
Quàm gaudent Lybicæ Tygres.

Fratrem mactat atrox,quæq; neci mora eſt
Vt ſit parua,tamen non patitur ferox
Extincto exequias Cæſareo rogo
Dignas,& tumulum denegat:arbitras
Vt ſolas tenebras funeris eſſe vult,
Iuſtis fletibus inuidet.

Ferali impoſita eſt vt genitrix rati,
Tyrrheni tumidas vt bibat æquoris
Vndas,& tabulis nauis hiantibus
Alto preſſa freto cymba, maris fugit
Inſanam rabiem, non tamen,heu,ſui
Nati tela fugit parens.

Sic Burrum gelido corpore,ſic ſuum

Terram vult Senecam plangere, coniugem
Sic addit comitem, ſic miſeram rogis
Vrbem ardere iubet, ſic ſceleri ſcelus
Semper iungit, & hoc quod male ſuſcipit
Portentoſa fera intumet.

Tot cædes agitans tótque animo faces
Spirans, Sydonio murice nobilis
Oſtro conſpicuus ſceptra tenens Nero
Inter Romulidas *agit.*

Vnum martigenis qui voluit caput
Vno vt conciderent pronius impetu
Matris *cymba ſua, flammáque ciuium,*
Romæ *tutus agens regit.*

Torpeſcunt hominum pectora fortium,
Torpeſcunt gladij, languida dextera
In ſe contrahitur, mole ruens ſua
Romanum Imperium *cadit.*

Cur quem Roma *timet fulmina cælitus*
Non vibrata premunt? an patitur moram
Pœnæ promeritæ barbarus, vt ſuis
Poſt paulò grauius ruat?

ACTVS SECVNDVS
PETRVS.

ERgone domine excelſo ex axe
Demiſſus ades, terrámque premis
Vt tua rurſus membra excipiens
Crux noua, Romæ mugire ſolum
Cogat, & atris nubibus axem
Inuoluat, buſtíſque ſolutis
Infima ditis tartara pandat?
O me miſerum, ter quater, eheu!
Agnoſco meum tandem facinus,
Agnoſco nefas, quo te infœlix
Nouæ ego infœlix affigo cruci.
Carpis inerti corde pauorem,
Mortíſque metu quam tento fugam:
Carpis gelidi frigus amoris,
Et reſoluto robore pectus:
AEthere ſcelus vt cernis ab alto
Et non pateris, refugíſque nefas
Mihi te profers, méque aſpiciens
Quo more ſoles lapſum reuocas.
Siccine ſemper Petre infœlix
Periure, & iners, Chriſti & domini
Deſertor eris? quémque negâris
Semel atque iterum voce tremiſcens
Vigil vt cantu te increpat ales,
Facto pœnitans réque negabis?

Pergéſne tui ſemper ſimilis
Verbis & lingua magnificus
Pluſquam vir dici, at re mulier?
Inflata tibi vt maris intumuit
Vnda, duce tamen domino intrepidus
Stringis nudo ſiccóque pede
Aequoris vndas, Chriſtique tui
Ruis in gremium: nunc te vt iunctum
Cupit eſſe ſibi, timidus refugis?
Refugis qui te tanti fecit,
Vt te arcanis rebus ſocium
Sanctíſque ſibi teſtem legeret?
Patre cœleſti monte aërio
Digna vt natus ſuſcipit ora,
Formámque nouam ſublimis habet,
Vt miſeranda morte ſepultam
Euocat orco noctíſque locis,
Nulli vidi cernenda viro:
Vidi candore os inſolito
Clarare polos irradiantes,
Cœlum vt vaſto pandit hiatu
Nitidi æthereas ſyderis auras,
Vidi diffuſam tartarei
Antri ſpeluncam, latratu
Cæco frendentem tenebrarum
Noctíſque ducem: potuit Petrus,
Petrus piſcator, tot rerum
Teſtis fieri, & nouiſſe minus

Quo-

Quonam officio hæc facta rependat?
O mihi fruſtra cognita ſummi
Semina patris, munera fruſtra
Veri toties tradita nati,
Si tam ingratæ ſunt data terræ.
Ergo ſalutis victima noſtræ,
Orci domitor, potui vt terris
His te exoluens candidus orbi
Infers cœleſti, aſtáſque patri
Qui nutu nubes & pluuias
Denſat, diſſoluit, flammiuomis
Solis æquis leges præſcribit,
Te fugere & non toties notum
Firmare meo ſanguine numen?
Ingrate, eneruis, quid quem tu
Faſſus natum es cuncta regentis
Viuíque dei, iam immutatus
Abnuis? ecquid mortem ſpernis,
Quam te moriens primus docuit?
Paſtor datus es qui trepidantem
Præſens foueas paſcáſque gregem:
ſiccine paſtor, ſiccine nudo &
Deſerto grege ſepta relinquis?
Petrum petram te conſtituit
Sacer antiſtes, qua ſuppoſita
Firmata foret ſic vera fides,
Nullo vt turbine, nulla pluuia,
Fulmine nullo preſſa occideret.

Vento vt lenior raperis, vili
Vilior alga, partémque caput
Flectis in omnem vt mollis arundo,
Cardine quo tu petráque ſuper
Poſitam fulcis firmáſque ædem?
Ergo minacis verba Neronis,
Vincula, fuſtes, crux, aut gladiũ,
Potuere animum terrere meum?
Potuere loco deturbare
Quo vera fuit figenda fides,
Quo commiſſum ſeruare gregem
Primùm decuit? repete, heu, domine
Mihi mandatum non bene ouile:
Ecce ferorum vt turba luporum
Irruit inſtans, paſtor fugio.
Renoua lacrymas iam Petre tuas
Largo humectans flumine vultum,
Renoua luctus, non culpa minor
Hæc fugientis quàm quæ quondam
Dominum verbis viſa negantis.
Sed parce deus, Roma *fugacem*
Iam me accipiet, fuſis lacrymis,
Sanguine fuſo mollis nimium
Túrpíſque fugæ damna piabo,
Noſtræ hæc fuerit victima culpæ.

LINVS, CLETVS.

Q*Vonam vſque tandem Cæſaris deſæuiens*
Furor tonabit? & ſuperbis faſcibus

Abuſus

Abuſus vnus, enſe flammáque innocens
Chriſti potentis proteret genus? cruor
Vbique ſparſus pingue reddidit ſolum
Atq; ipſa ſparſis canuit terra oßibus,
Noſtræq; gentis Roma micuit ignibus,
Crudelis illo dum Nero ſpectaculo
Reficeret oculos, & nouam rogis ſtruem
Nouámque ſyluam repperiret. CLE. *vipera*
Sanguis genúſque quo ſua cecidit parens
Fixis refixis legibus, tantum polo
Cælóque donat ipſe quos facit deos,
Phœbos comantes, Palladas Tritonidas,
Veſtáſque, Iunonéſque ſtatuens & Ioues,
Veterúmque monſtra & prodigia gentilium,
Vnum recuſat virgo quem peperit deum,
Recuſat, & qui voce teſtatur ſua
Rerum potentem, lucis & vitæ arbitrum,
Mactat ſecuri, cruce, rota, vitam eripit,
Qui ſe receptam habere poßint vt velint.
LINVS. *Petrus furori iam coactus cedere*
Profugus & exul, cuius in voce & fide
Stabat relicti cura gregis, en vt ſuum
Septum coactus deſerit, languet pecus,
Ouile marcet & lupi ad vocem fremens
Petrum requirit. CLEVIS. *Paſtor abſens, nos canes*
Muti atque inertes quos minus balans ouis
Noſcat, quid, eheu! quid, tui Petri manum,

O ſumme paſtor, ſumme ſacrûm pontifex,
Vis cedere vni qui tuum laniet gregem,
Fidémque tollat Cæſari,& monſtra inuehat?
LIN.*Exurge deus,& qua potes multùm manu,*
Deprime tyranni ſceptris inflatum caput.
CE.*Frena tyranni rugientis impetus*
Et redde tandem qui tuo primum gregi
Promiſſus olim paſtor eſt,notum pedum eſt,
Nota eſt ouili vox ducis ſui & fides.

PETRVS, LINVS, CLETVS, PETRONILLA.

POnite dolorem,ponite gregis anxiam
Curam, & luporum ſæuientium metum:
Vobis receptus en adeſt paſtor. LIN.*Redis*
Qui vix tuum hinc efferre viſus [e]ſis pedem?
PETR.*Redit,qui in vno,quod pedem extulit,eſt nocens.*
CLE.*Redis ſalutis immemor tuæ.* PETR. *At ouium*
Memor mearum. LINVS *Quem Neroad crucem euocat?*
PETR.*Potior eſt ille qui pauentem me metu*
*Fugáque reuocat.*CLE.*At fugam hanc omnes tui*
Suadent amici. PETR. *Qui poteſt plus omnibus*
*Diſſuadet vnus.*LIN.*Quis?* PETRVS. *Cruce ſuperans deus.*

CL. *moriere demens.* PE. *in mei domini manu*
Vitæ necíſque ratio. LIN. *Vitæ qui poteſt*
Videre, nec videt tamen, manum ſibi
Infert. PET. *Monenti qui deo paret minus,*
Is (quod grauius eſt) dexteram domino iniicit,
Crucíque figit. CLE. *At timere vt imminet*
Mors cuique, & hominis, & videntis optimè eſt.
PET. *Mea me ſenectus fortiter docuit mori,*
Docuítque coniux, lauream morte occupans,
Docuit cruore quem ſuo primum fidem
Sancire vidit Roma ſaxis obrutum,
Docuit & alti montis è ſaxo datus
Præceps, & acto ſtipite inuſtum caput
Mactatus olim. Quid? Neronis verbera
Minæq; atroces dimouebunt me meo
Gradu, fidémque, quam ſemel domino dedi,
Necis irritã faciet pauor. PETRO. *Quid mi pater*
Pater tot contra te ruentibus viris,
Nerone gladios tibi minante, & durius
Si morte quicquam eſt, qui profugeras, modò
Redis, & vltro te neci obiicis? PET. *Quid hoc?*
Quid tu parentis non ſatis firma in fide
Meam quoque mulier fidem tentas? virum
Illexit olim fœmina in fraudem, & dei
Contra tonantis iuſſa demens impulit:
Me fœmina etiam voce prouocans ſua,
In crimen egit vt negare compulit
Quem faſſus eſſem Patris alti filium,

Tu rurſus huc iam filia & mulier venis,
Qua concitante fraude deceptus mala
Chriſtum tonantem filium dei abnegem?
Iam cede retro mens ſceleſta, ſint procul,
Procul pauentûm verbã quæ aures vellicant:
Iam vos quibus nunc pectus obduxit gelu
Timor tremórque non ſatis firma fide,
Conſulite vitæ & vos ſpecu vaſta abdite
Tantiſper vt vos vel deus mecum euocet,
Vel vos remiſſus Cæſaris tutos furor
Faciat: voraces non rogi, non edita
Crux me pauentem vel rota videbit, Nero
Non territabit, & fuga turpi, dei
Negare coget quem ſum faſſus filium.
Sequor ſequor iam Chriſte, quò tu me euocas,
Sequor paratus rebus omnibus obſequi,
Tuum ſonabit lingua tutis faucibus
Nomen decúſque: nulla non plaga audiet
Petrum tonantẽ, quam fuga feci moram,
Præſens rependam voce, ſit præſens licet
Quiſquis minatur, ſic lubet me viuere.

ANICETVS, PETRVS.

QVid? tot Neroni rebus obſequens tuo,
Seu te miniſtrum cædis optaret ſibi,
Siue violati conſciũ thori, ſuæ
Siue adminiſtrum veneris & libidinis,

Ignauus

Ignauus vna hac defueris in re tibi?
Feres paratam præripi tibi gratiam?
Quiſquis potenti gratus eſſe Cæſari
Poteſt, is vni eſt gratus in terris Ioui.
Piſcator ille, larua deformis, ſenex
Cadauerosus, eruendus eſt tibi:
Aggredere tãdem digna te, atque animum excita,
Hoc vince ſcelere quod ante patratum eſt ſcelus.
Luſtrate, diuellite, agite, eruite è ſua
Vel ſede tartari ſpecum: Romæ vbi vbi ſit,
Agit, è latebris eſt reuellendus ſuis.
Audax & vltro optatus aduenit, fera
Plagis tenetur, vincla diſpoſitis, manum
Huic iniicite, tum fune duro aſtringite.
PET. *Quid mihi fruſtra vincla paratis*
Vincti miſeri cecíque viri?
Hæc me vinclo vincla expedient,
Hæc me patriæ patríque meo
Saluum & lætum reddent, agite,
Ducite quò me iuſſa tyranni
Rapiunt, fuluum Cæſaris aurum
Faſtúſque meo pede calcatus
Vileſcet, ero in Cæſare victor.

CHORVS.

ECquis leo vt iubatus
Flamma calente cælum

Vrit coquens ariſtas
Meſsis reducit annum?
Quis nubiloſo in Hædo
Arcturo & Occidente
Parit graues procellas
Ventiſque miſcet æquor?

Ecquis polos nitentes
Agit, grauémque terram
Suis librat lacertis?
Quis nocte rebus vmbram
Fundit, die calorem?
Quis igne clara pingit
Aſtra, & micante luna
Nouas agit quadrigas?

Non ille quem Poëtæ
Vanis metris loquuntur,
Cœlíque in axe ponunt,
Saturnius parens eſt:
Sed qui chaos coëgit,
Parénſque rerum & author:
Humana membra cepit
Mortémque morte vicit.

Non ille qui parentem
Sceptro ſuo polóque
Exturbat, & nigrantis

Agit ſub antra ditis,
Sed qui ſuo parenti
Parens parente natus
E virgine expiauit
Primi nefas parentis.

Suo calore Titan
Supremo in axe fulgens
Terras minus penetrat,
Quàm pectora in virorum
Suo calore Chriſtus
viuax agens penetrat.

Quis non ſtupet coacto
Vt aere iuncta magnes
Cogit trahítque? at aere
Quod durius putatur,
Mollit trahitq; Chriſtus,
Vt corda ahena iungit.

Is corda fregit alti
Sauli prementis olim
Ferro rogíſq; Chriſti
Genus, fores vt eius
Pulſat, tuetur illum
Quem perſequutus enſe eſt.

Vt molli. ille quos vult,

Indurat idem, & vna
Preſſos tegit ruina,
Num teſtis eſt profundo
Merſus freto tyrannus
Vt Moſis arma radit?

En Chriſtus vt trementis
Penetrat oſſa Petri,
Omnem excutit timorem, &
Pedem premit fugacem.

Non iam Neronis enſes,
Non rugulas rotáſque
Horret, ſed arma in ipſa
Satellitum vltro tendit.

Verſatur vrna vitæ,
Sed ſors manu ſupremi
Cùm ducta ſit tonantis,
Ceſſura vt imperabit.

Vt ſceptra Cæſar aurea
Geſtet minax ſecuri,
Nihil mouere ſummo
Poteſt negante Chriſto.

ACTVS

POPPEA.

TANDEM Neroni & Cæſari iungor meo
Lecto iugali, quẽ meus vicit decor
Quem forma & ætas, tradidit vinctum mihi
Puer cupido, tradidit mitem Venus,
Sublimis altos vt thoros preſſi: meam
Vidit Senatus formam, & attonitus, ſacras
Cum thure odoro ſpargerem aras & mero,
Velata roſeum flammeo leui caput
Quas improbauit Cæſaris tedas prius
Tandem probauit: faſſus hanc formam mihi
Qua vel deorum ſummus & rex Iuppiter
Captus relicto coniugis ſuæ thoro
Taurum vel imbrem quò fruatur induat:
Fex vilis, humilis plebis abiectæ, faces
Quæ reprehendit, in Neronem obmurmurans
Flammíſque rapidis auſa Cæſaris ſui
Petere Penates, principi leges dare,
Ferro repreſſa eſt, expiauit ſanguine
Soror mariti gentis inceſtam manum.
An iam reſidit pectus, & vacuus metu
Poppea tutos eſſe credit coniugis
Thalamos? quieſcit vulgus olim muſſitans,
Paret, veretur, & recens alter mihi

Seneca caninus oblatrator prodeat,
Qui murmurans lectum in meum & tedas tonet?
Nouóque Chriſto, lege territans noua,
Penas minetur & tumultus excitet,
Aliáſque contra Cæſarem meum faces?
Herodis olim potuit vxor à ſuo
Rege impetrare magni & inſignis caput
Sacrum Prophetæ, dum ſuos contra thoros
Linguam reſoluit, ego Nerone à coniuge
Poppea thalami ſocia, non potero caput
Obmurmurantis in meum nomen mihi
Exorare, carcer vt canem vinctum tenet?
Armetur iſtud quo decet pectus dolo,
Ira furore concitus Cæſar ſatis
Huius animam vindex mei lecti hauriat.
Qui non ſorori parcit an vitam huic dabit?

NERO, POPPEA.

O Chara ſortis ſocia thalamiq; vnica
Dilecta conſors, turbidos ecquid gerens
Vultus colorem candidum frontis tuæ,
Oríſque niuei nube nigrante obtegis?
Quis mœror, olim purpura tinctas genas
Immutat? An te vel nouum Claudi genus
Nouus ſepultæ tutor aut Octauia
Fœlicitati noſtræ amoriq; inuidens
Angit? Senatus iam probat noſtros thoros,

Iacétque noſtri Octauia æmula thalami.
Pœnas dederunt qui furore conciti
Lectum improbantes dextera inceſta faces
Iecere noſtros in Pœnates: fulmine
Teſtor potentem lucidi ætheris Iouem,
Quicunque noſtris oſculis inuiderit,
Quicunque vel te coniugi vxorem mihi
Mactatus ille te metu leuauerit.
POP. *Cecidere quotquot nomini meo inuidi*
Hoſtéſque viſi, ſed Seneca non occidit.
NER. *Quid? an reſurgit quē ſua cymba Charō*
Dudum recepit? POP. *Alter hoc peior mihi*
Seneca reſurgit, voce qui ſua intonans
Tuum meúmque perſonans populo ſcelus,
Iugale fœdus arguens, nouos mihi
Cogat tumultus, qui tuæ vmbram Claudiæ
Manéſque ad auras euocans, ſibi velit
Tibi obſequentem coniugem inferiis dari:,
Si digna credor quæ cadam hoſti victima,
Videórque ſeptro digna non coniux tuo,
Quæ ſim pudori, quæ minus placeam, vel hanc
Eripe animam ferro, vel illius mihi
Qui vult ademptam morte, terrorem amoue.
NERO. *Quiſnam iſte Seneca qui reſurgēs liberā*
Non patitur eſſe quam volo vacuam metu?
POP. *Eſt vnus, vnus qui Petrum vt ſe iactitat*
Regis miniſtrum, cui vel ipſe ſeruias,
Premit iugale fœdus & ſcelere imbuit

Nouo Quirites, carcere incluſus tuo
Ecquid nocenti tandiu terram pede
Premit ſceleſtus? NER. At daturus iam mihi
Penas vocatus aduenit. quin tu metum
Ponis? Neroni iam mihi & tibi obloqui
Ceſſans, ſilentia ditis inuiſet ſilens.

ANICETVS, NERO, PETRVS.

EN Cæſar, en qui legis inuector nouæ
Sectæq; ſtultæ, ſtultus errore imbuit
Plebem imperitam, nomen & vanum ſibi
Captans, tumultus vrbe ſuſcitat nouos.
NER. Iam tempus & dij criminũ æqui vindices
Pœnas daturum te reduxerunt mihi,
Profugúmque noſtris ſubdiderunt faſcibus,
Plagis teneris fera ſuperba, ecquid tui
Te ſceleris & vitæ nocentis iam pudet?
PET. Ego, Cæſar, iſthic & mea in vita ſcelus
Nullum fatebor, quo nocens videar mihi,
Cuius pudere oporteat, niſi quo omnium
Rerum parentem non ſatis firma fide
Verbíſque faſſus præter æquum expallui.
Nec tu plagis vinctum teneres, & manu
Tua prehenſum me, niſi author luminis
Vitæq; noſtræ tibi deus ſubmitteret,
Deus, nitenti qui polo & terræ imperans
Regum ſuperbas cogit & regit manus.

Quæcun-

Quæcunq; Cæſar in meum datur caput
Tibi poteſtas, à deo tantùm datur.
Fruſtra laboras, niteris fruſtra, crucem
Fruſtra vel ignes cogitas, in me nihil
Potes, ſupremus hoc niſi admittat pater.
Quid? non tumeſcens ille quondam ÆEgypti
Regni corona Pharao molitus genus
In illud olim Moſe quod duce, patrio
Solo relicto mellis & lactis ſolum
Plenum petebat, milite armato furens,
Dum rex morari vult iter, curſus ſuos
Preſsit, deiq; quem colo, genti viam
Patente vidit æquore? At rex obrutus
Cum perſequente militum manu freti
Rubentis vndas faucibus ſalſis bibit:
Et qui leonum miſſus in ſpecum fuit
Iuſſu furentis, patris vt noſtri manu
Leuatus olim eſt & ferarum inter greges
Adblandientes luſit illæſus, rogi
Preſſere flammas, & calorem noxium
Fornace clauſi dum canunt puelluli
Deum potentem: nil furore percita
Regina Ieſabel in Heliam ſacrum
Potuit vt illum ſæua morti deſtinat.
Externa ſed quid repeto? vidit carcere
Herodis olim & vinculis ſtrictum nocens
Améńſq; turba, ſed prophetam qui ſuum,
Qui tres puellos, quiq; Danielem & genus

Moſis,periclo liberauit,liberum
Carcere refracto diſſolutis vinculis
Herode ſeuiente iuſsit viuere,
Is non vbi volet me tua ſoluet manu?
Is ſepe,cuius in fide viuo,deus
Cùm ſeptus eſſet hoſtium agmine,euolans
Turbam ſefellit,& ſtupente milite
Fugit ſequentes,iuſsit vt ſummus pater,
Seſe furenti vinciendum tradidit
Turbæ,crucíq; victimam dedit innocens:
Sic nuper illa quæ data forent vincula
Deo volente liber effregi,volet
Vt me morari in his mihi quæ iuſſeris
Ecquid recuſem vel lubens ipſe emori?
NERO. Quid?quem parentẽ tu mihi rerũ deum
Profers,nocenti ſpiritum qui protrahat?
Pœnas dedit Salmoneus quondam arrogans
Quadriiugo vt ille inuectus in curru,Elidis
Medias per vrbes aëre ſubiecto,manu
Ardente quaſſans lampada igneam,Iouis
Fulmen triſulcum,& nube colliſa refert
Tonitrus olympi.Titius in clari ruens
Conuexa cæli per nouem terræ iacens
Iugera refuſus digna ſupplicia luit.
Iunonis Ixion thoros auſus ſibi
Petere rotarum affixus orbi voluitur:
Tu qui inſolens Iunonis in thoros ruens
Titióq; grauior,ſtultior Salmoneo

Cælo

Cælo tonantem deijcere tentas Iouem:
Nunc aſtra cogis, nunc eadem aperis, ſtigis
Nunc antra claudis, nunc reſoluens extrahis
Vmbras ſilentes, vt dei nomen maga
Arte aucuperis, tu diutius tuo
Quem tu fatere, illuſeris deo, aut meo
Potius potenti iniurius fueris Ioui?
Et te deorum præferet vindex Nero?
PETRVS. *Erras, ô Cæſar, ſi mei me exiſtimas*
Dei aucupari nomen & decus: deus
Deus deorum victor iſtorum, Ioue
Mihi quos in vno predicas Saturnio,
Canitur, colitur, exurgit, os noſtrum imbuens
Linguámq; muniens, quod ego ago & eloquor,
Quod ſpiro, id vnus efficit: magum nihil,
Nihil parentem quod meum offendat: fidem
Quiſquis ſequetur quam meus præſcripſerit,
Qui credet (inquit) indice hoc notabitur:
In nomine meo ſpiritu oppreſſos malo
Leuabit, idem noxios angues premet,
Linguis loquetur inſuetis, & ſtupens
Coram pauebit turba, ſi quid hauſerit
Letale, nunquam vel receptum ad intima
Viſcera nocebit: dum in fide huius immoror,
Dum credo, fateor, nomine vnius, ſpecum
Ditis reſoluo, dum tonitru, & grandinem,
Nubéſq; pello vel voco, dum vincula
Diſrumpo, video: an Magus, Cæſar, tibi?

Videor honorem præripere deo, mea
Qui voce primum vt viuit & viuet cruce?
Moſes tyranni dum ſtat ad ſolium, & maga
Arte inſoleſcens vulgus altos inficit
Monétque fluctus, vt male infectis aquis
Infectus etiam concidat piſcis malè,
Paréſque ranas inuehit, muſcas pares,
Miſcétq; cælum grandine & pluuia, videt
Sentítque longè poſſe plus Moſis manum.
Ille ille, Cæſar, æneum qui dum loco
Serpentem in alto ſtatuit, & ſignum ſuis
Proponit, angues igneos pellit, leuans
Quicunque eorum ſaucius morſu foret.
Quæ magia Moſis, fratris olim quæ fuit,
Hæc hæc, fatebor, hæc mea eſt: quin tu magum
Potius Symonem credis & damnas tuum,
Qui vulgus inter arte dæmonum mala
Adiutus, almi nomen vt dei occuppat
Vaníſque ſignis, fraudibus vanis tuis
Illudit amens, ſéque ab inferis citans
Cæleſtis auræ carpit æthereas plagas,
Stigio volatu, quas tuus Salmoneus
Imitator olim fulminis Saturnij
Pœnas luiſſe dicitur cadens luit?
Age ergo Cæſar ſigna cum tot efferant
Enuntiéntque quem cano deum, exue
Errore mentem & igneo angue ſaucius,
Serpentem ad æneum erige oculos, & deum

Con-

Confeſſus vnum qui crucis ligno potens
Victórque mortis morte viſus eſt ſua:
Te morte tandem, te ſtigis lacu abſtrahe.
NERO. *Nugator amens quem deum nobis cruce*
Canis potentem morte victorem ſua
Mortis? putandus ſcilicet nobis deus,
Qui matre natus paupere eſt, pauper pede
Nudo atq; egenti vilium in grege ciuium
Algens faménſque vile calcauit ſolum,
Suo vel vni pauculo ære venditus
Et captus ore ſordidos ſputus tulit,
Lacérque membris diffluente ſanguine
Dignam coronam, digna ſceptra pertulit
Regno quod ipſe mente fingeret, duos
Inter latrones medius affixus cruci
Plaudente circum plebe ſpiritum expuit?
PETRVS. *Vt fuerit ille matre natus paupere,*
Ex ſtirpe regia nec inceſta tamen
Afflante ſacro ſpiritu de virgine.
Sic natus olim pauper, vt reges tamen
Aurora ab ipſa accederent, regem & deum
Munere fatentes: ſic inops naſcens fuit,
Vt hunc puellum rex ferox expauerit,
Sic nudus idem, veſte nos idem vt ſua
Tegeret faméque preſſus eſt, is millia
Cui quinque quondam conſequentium datum
Eſt quinque panibus tribuſq; piſcibus
Pauiſſe, terram preſſit æthereo è polo

Demiſſus, vt clauſum polum reſolueret:
Venditus vt idem ſanguine ſuo exolueret
Noſtræ ſalutis pretium, & aſperſus luto
Sputóq; totus, generis vt noſtri ſcelus
Sordéſq; purus innocénſq; tolleret:
Sic ſanguis illi fuſus vt nos abluens
Primi parentis tolleret culpam & nefas,
Sic pondus ille pertulit crucis, crucem
Noſtram vt cruentus tolleret: ſic in cruce
Fixus pependit, ſpiritum ſic reddidit
Vt phœbus ipſe nocte ſe denſa obtegens,
Tellus tremiſcens, & ſepulchris exerens
Seſe vmbra, teſtes illius fuerint dei
Qui paſſus orbi & cœlitum choro imperat.
Hic eſt prophanis qui poëtæ vocibus
Prædictus olim, qui Sibillæ verſibus,
Et qui Prophetæ ſpiritu promiſſus eſt.
Iam virgo redijt, iam noua è cælo tibi
Demiſſa progenies tenebris lumine
Nouo fugatis certius figit pedem,
Qui nocte preſſus ante inambulauerat.
Iam gelidus anguis occidens calcatus eſt,
Et iam venenis herba fallax occidit:
Iam viſus ille ſolus triſte torcular
Qui preſſit, agnus victima datus abluit,
Sordes ſcelúſq; gentis ingratæ, edito
In monte ſignum fixit in quo ſaucij
Se recrearent, mortui reſurgerent.

Occidit

Cecidit noſtræ victima culpæ
Chriſtus, cecidit virgine natus.
REX. *Deus idem qui hominis formam*
Induit, vt nos labe leuaret
Hominis primi, patriq; ſuo
Conciliatos iungeret, orci
Stigij domitor, vita vt clarus
Sic morte potens, templum manibus
Inceſtis euerſum triduo
Nobilius multò reſtituens,
Fracta magni mole ſepulchri
In cruce victor terras humiles
Linquens ſupero candidus axe
Cûm patre regnat, ſummiq; viam
Dux præcurrens pandit olympi.
NERO. *Ergo tumeſcens in crucis titulo tuæ,*
Ignauum inérſq; vulgus errore imbues
Piſcator amens, ſed equè ſupera iouem
Excludes? tuus iam pertinax nimis furor
Furoris in me concitat nouas faces:
Satis Neroni *& plus ſatis Petri vnius*
Superſtitio tolerata: ſatis & iactitans
Seſe cruce vna vulgus, hunc abducite
Iam vos furentem, & qua cruce is demens tumet,
Hac pendeat, ſuóq; ſit Chriſto comes.

CHORVS

Magna vis flammæ, Siculo euolantis
Monte, vis teli metuenda torti:
Magna turgentis rapidiq; venti,
Maior at multò tumidùm furentis
Coniugis vis eſt, vbi læſa cuiquam
Pectore irato variat doloſa
Fraude fœcundos animos nouóſque
Concipit ignes.

Fertur hyberno violentus imbre
Auſter, & torrens rapidis vagatur
Fluctibus, flexu ſinuoſo oberrans
Iſter vt pontes tumidus recuſat:
Fertur at longè vehementiori
Impetu frendens mulier, nocendi
Cauſa ſi forſan datur, irretorto
Euolat æſtu.

Phædra dum iuſtam patitur repulſam,
Dum dolet caſtæ ſocium Dianæ
Vſum ad inceſtum ſibi denegari,
Credulum fictis lacrymis maritum
Filij in mortem mouet, igne eodem
Flagrat vt Præti Stenobea pene
Perdidit quo non potuit potiri
Bellerophonta.

Somnij interpres Pharaonis olim

Carcere

Carcere incluſus, furor ecquid iſta
Fœminæ poſſet, dolus atq; vultus
Percitæ vidit, iacuit ſepultus
Nocte ſub denſa, potuit maritum
Subdolo fletu, lacrymiſque fictis
Vxor inceſtum in ſcelus & patentem
Ducere fraudem.

Faſcinat mentem mulier, decoro
Ridet vt vultu, lacrymaéq; amicis
Stillat vt rorem ex oculis, venenum
Spirat occultum, iubet imperátque
Quod cupit, blandæ ſimul atq; linguæ
Vincla reſoluit.

Plus ſatis Cæſar furit, & eruore
Gaudet effuſo, iocus innocentum
Victima, & ſanguis fluitante riuo
Recreans ſænos oculos ſed addit
Calcar inſano, ſtimuliſque coniux
Blandior vrget.

Qualis in membris hominum eſt Hirudo
Non cutem mittens niſi ſit cruoris
Plena ſuggendo, ferus in cruore
Talis eſt Cæſar, ſemel apprehenſam
Non cutem mittit, niſi membra totus
Sanguine turgens.

Plenus at tandem, medius crepabit,
Reddet exhauſtum malè, quámq; quondam
Tinxit inſontum miſer, expiato
Crimine occumbens populo ſequente
Corpus infœlix proprio retinget
Sanguine terram.

Qualis eſt ardor mulieris, alti
Claudij qualis furor eſt, vocato
Talis in Petro eſt amor in ſupremi
Nomina Chriſti.

Hæc valet forma, valet hic ſeueris
Faſcibus Petrus, valet igne quem non
Vincat aggeſtis trabibus ſuperbi
Flamma tyranni.

Quale non olim cecinit canora
Carmen Amphion cythara mouente
Plectra ſupremo patre Petrus effert,
Et modulatur.

Aure ſed ſurda nimis obſtinatus
Præterit Cæſar, bibit illa tantùm
Blanda quæ Syreni ſibi felle ſpaſo
Spirat ab ore.

PETRONILLA, LINVS, CLETVS.

SEd vos ô noſtri generis & patris fides,
Amor parẽtis,quos idem ſtudium dei
In excolendo nomine ſocios dedit,
Ecquid repente turba obortum?quid noui eſt
Quod ore triſti neſcio quid turbidum,
Et luctuoſum pectore alto conditis?
Nunc pallor ingens occupat,ſuſpirÿs
Longóq; gemitu triſte pectus inſonat,
Nunc aure trepida verba vulgi attenditis,
Nunc euolatis,nunc ſpecu vaſta abditis:
Certè receptus vultibus mæſtis color
Vt vt tegatur,vulnus arcanum exprimit.
Si deuorandum eſt iſtius mali mihi
Sortíſq; virus,quicquid eſt moleſtiæ
Quicquid doloris ebibendum,quid minus
Offertis?eſt eſt hic mihi animus,turbidos
Qui fortiter contra impetus ſe comparet.
Non imparatum pectus ad caſus gero,
Aſſueta pridem languidis morbo artubus
Quancunq; ſuperi iuſſerint pati crucem.
Et iam trementes horror artus concutit.

Pauidúmq; multo ſtringitur pectus gelu,
Præſaga magni mens mihi caſus, minus
Conſiſtere ſinit, quin leuatis anxiam?
Quiſquis timore preſſus vultum obnubilat,
Miſer eſt, & vno hoc miſerior quòd anxius
Suſpenſus illud quod ſit incertum timens
Suo imminens pondus graue capiti putat
Quo mox prematur, mors minus pœnæ, ſinu
Geſtat gelato quàm ſuo geſtat timor.
LIN. *Vt tu timore & languido albeſcas metu,*
Et pallor ora noſtra fletu obduxerit,
Quid te iuuabit fletibus vel in tuis
Miſeram vel in noſtris mori? PETRON. *Video, meos*
Narratis, heu, fletus, meus heu dicitis
Lacrymas. CL. *Hic & nos propior attingit dolor.*
PETRO. *Celatis illud quod nihil vos iuuerit*
Celaſſe? Pater eſt, eſt pater, noſco, pater,
Pater, Neronis qui manu oppreſſus cadit
Et vos iacentes obſitos luctu ſinit,
Et me iacentem, & ſcallidam natam pater
Deſerit. LIN. *At ille nos leuat potius.* PET. *Leuet*
Qui ſit remotus carcere obſcuro abditus?
LINVS. *At carcere illo quo pedē iamiā efferens,*
Et ſe beatum & nos beatos efferat.
PET. *An carcer ille eſt corporis quo ſe explicans*
Victor triumphet? an ne id eſt quod muſſitans
Vulgus frequenti voce clam demurmurat

Petrúnq;

Petrúmq; loquitur & nouam ſonat crucem?
LINVS. *Quod vulgus ore dubio & incerto ferit*
Spargítq; vanis vocibus firmum putes?
PETR. *At fumus iſte non niſi flammæ comes*
Se prodit. CLE. *Heu, heu!* PETRVS. *Quid ſibi*
ſuſpiria
Abrupta, quid vox languidis in faucibus,
Arente lingua verba quid ſibi volunt?
LINVS. *Petrus carcere ſic iam ſoluitur,*
Corporis vt ſe ſoluat carcere.
CLETVS. *Quicquid vulgus frendẽs murmurat*
Quem Petrum ſonat, atq; aure ebibit,
Vnum vnum ſonat, vnum qui tibi
Et nobis pater atro Cæſaris
Imperio cadat & nos deſerat.
PETRO. *Hoccine fuerat quod vos triſti*
Vultu & facie cùm ſe exereret
Meme miſeram celare diu
Sic potuiſtis? noſtri hæc fuerat
Pectore preſſo cauſa pauoris
Cauſáq; luctus? ceſſas miſera
Filia miſeri nata parentis,
Obuia ceſſas patri fieri?
Vultúmque extremum & ſermonem
Captare oculis, aure excipere?
Curre infœlix, curre & patri
Obuia tandem filia prodi.

PRAEFECTVS, PETRVS, CHORVS.

PRoperate, agit, ceſſatis, hunc rapite viri
vt deſtinatæ membra mandetis cruci.
PETR. Quin nil moratē rapitis & propero gradu
Vinctum trahitis? hic nihil opus ſatellite,
Nil vinculo: vltro vinciendum qui dedit
Quid rapitur? ardet mens mihi cruce hac magis
Quàm vos furentes ſanguine ardetis meo.
CHORVS. En illuxit ſuſpecta diu
Fama, & toties iactata dies,
Cedit crudo ſancta Neroni
Nunc iam pietas, ducitur aram
Crucis vt fuſo ſanguine tingat.
Quid promeruit, quonam imperium
Crimine læſit vir iuſtitia,
Vir pietate inſignis & ore
Candidus? inſons, veræ fidei
Verus cultor, populíq; parens
Petrus trahitur, trahitur vinctus:
Sanguinolenti preda tyranni.
Vbi Quirini vis eſt populi
Sepe ſuperbi victrix regni?
Ecquid patitur cæde bonorum:
Omnia tingi, viri vt inſontis
Iuſtíque necem vindice Chriſto
Noſtra miſeri morte luamus?
PETRVS. Quid iam dolore perciti,

Genas rigatis fletibus?
Aut quid furore perditi
Nouos tumultus editis
Et me perinde ac perditum
Veſtris doletis planctibus?
Dolendus eſt quiſquis nec,ce
Et nocte ſumma obuoluitur.
Dolendus eſt qui territus
Mortis timore tramite
A lucis almæ deficit.
Iam patris in veſtigijs
Chriſtiq; dum figo pedem,
Dum liber in cœlum euolo
Tot rebus inſignis fides
Sequenda quæ ſit edocens
Quid inuidetis fletibus
Iam me manenti laureæ?
Ceſſate,luctum ponite,
Nec vos nouis tumultibus
Neronis iram accendite.

PETRONILLA, CHORVS, PETRVS.

QVæ turba ſuperi! quã frequens vulgus ruit?
Ah ah paterni hoc funeris ſpectaculum,
Hæc pompa mortis,filiæ viam date,
Date quotquot eſtis,ſinite me meo patri
Vale ſupremum dicere,& longum vale,

Vale relictum hoc ſi mihi tantum eſt vale.
CHOR. *Quò nata properas? quò ruis? patri tuo*
Prodis vt illi crux noua & mors prodeas?
PET. *Ergo hac genitor genitor natam,*
Natam cumulas dote relictam?
Connubia mea hac dote rependis?
Sponſumq́; meo iungis thalamo?
Hæc te merces vltima Chriſtum
Dum tu ſequeris, manet? hic fructus
Vocis, Chriſtum dum canis vnum
Verámque fidem crucis hoc munus,
Vt dum canitur te crux capiat?
Hoccine fuerat, carcere quod tu
Herodis liber, romano
Carcere vinctus, cæſus caderes?
Hoccine fuerat quod reuocato
Greſſu infœlix velles miſerè,
Miſerè, heu nimium, populo & natæ
Miſerum fieri fidei ſpeculum?
Hiccine Chriſtus quem tu magnum
Viuúmque facis cuncta regentem?
Hiccine lentus te permittit
Lictore trahi?
Heu heu video vinctum manibus,
Vinctos alios cui ſoluiſſe
Chriſtus dederat: video morti
Addictum, qui morte ſepultos
Sæpe nigranti traxit ab orco.

Ergo reliquis vincula tollens,
Vincula genitor tibi non tollis?
Qui morte alios & ſtige ſoluis
Soluere te iam non morte potes?
Heu quid miſero filia patre
Facias miſera? accedam propius
Et qua potero parte leuabo
Preſsi nimium pondera patris:
Sinite hoc ſaltem, ſinite, extremum
Patri officium nata exhibeam.
Squalorem vultus vt lacrymis,
Fletúque meo abluam & abſtergam
Oris ſudorem manante
Sanguine circum: genitor natæ
Hoc extremum munus recipe.
PETR. *Quid nata mortem lacrymis vndãtibus*
Defles gemíſque? non eam gaudes crucem
Mihi parari qua meus Chriſtus viam
Muniuit olim vt præuium iuſsit ſequi?
Iam tempus illud quod mihi predixerat,
Senior meas olim vt manus extenderem,
Aliúſque cingeret, calix venit mihi:
Iamiam ebibendus ille quem prius bibit
Dominus, acerba nec grauis mors eſt bonis
Sed ſomnus altus: ter quater beatus eſt
Vir qui cruento corpore obſignauerit
Terram, fidémque ſanguine ſuo ſanxerit:
Eſt morte fœlix nomine in Chriſti prius

Mactata coniux, ego thori conſors quoque
Fœlix futurus vt ducis mei & tuæ
Sequar parentis fata, tandémq; ætheri
Reddar ſolutus vinculis: tu filia
Futura fœlix vt patris veſtigiis
Tuæq; matris imprimens pedem, cruce
Gaudebis iſta: ne meo igitur inuide
Bono, vocatum ne morare, quin metu
Omni relicto me ſequere Chriſti memor.
Vos iam ſpreta hac virgine, ſpretis
Lacrimis, ſpretis verbis, rapite
Crucis ad noſtræ vitæq; locum.
Gaudia quid tu nata moraris?

PETRO. Euolat, heu heu! fortis genitor
Fortis nimium rapitur, nata
Imbellis ego fortíſq; malè
Nunc vtroq; orbata parente
Deſeror, & cui vita infœlix
Cui connubio deſerte pudor
Pectora velas?

CHORVS.

Verùm hoc? tan ſtolidos fabula decipit
  Vana & credulitas, quicquid ab heſpero
  Auroráq;, ſua lampade Cinthius
  Sol luſtrat, rapidis oceanus fretis

Quicquid

Quicquid vel veniens vel reſluens premit
Cæleſti ſuperum mente regi & manu?

An nullus deus eſt & temere metu
Vano ludimur, vt nomina fingimus
Portentoſa lacus, fingimus & nigra
Antra horrenda domus, tartara noxiis
Plectendis, ſuperum cum grege quod bibant
Nectar, quos melior vita beauerit?

An quicquid nitido claret in æthere,
Quicquid cæruleo viuit in æquore,
Quicquid magna parens terra ſinu fouet
Natura regitur, viſq; ſua omnibus
Rebus nata ſedet, ſpiritus occupans
Intus cuncta agitat nec deus vllus eſt?

Aut, ſi quis deus eſt, an fruitur ſuo
Securus nimium liber & otio
Paulum ſollicitus ſi quid agas bene,
Et nullis hominum rebus & inferum
Se cogit nebulis, libera libero,
Curſu cuncta ſinit nil metuens, rapi?

Cui vitæ integritas purior & metus
Diuorum propior, preſſus ab impio
Calcatúſque iacet, vel pede diuitum
Stratus vilet Inops carcere vel miſer

Clauſus, vel metuit vel ſubit innocens
Quam non is meruit, ſed metuit crucem.

Preſſus iuſtus Abel, fratris vt improbi
Mactatus manibus concidit, & pius
Patris cura ſui filius impijs
Auro venditus eſt fratribus, & dei
Iob numen veritus rebus vt excidit
Fortuníſque ſuo eſt fabula ſanguini.

Mactatus cecidit iuſtus apoſtolus
Præceps monte datus, concidit obrutus
Saxis cui meritam nomina lauream
Promiſere, pares iam titulos ſibi
Iuſtus Cæſareo ſub gladio ſui
Nil tectus manibus Petrus obit dei.

Contemptor ſuperum Cæſar & optimi
Fratris claua ſui, coniugis & ſuæ
Matris cymba, ſtigis quò vada tranſnatet,
Cæſar diuitijs omnibus affluit,
Et ſceptro tumidus turget in aureo
Nullius metuens fulguris, aut dei.

Sed quò nos miſeros error agit, dolor
Quò cogit? ſuperos eſſe fatebimur
Si quæ quodq; manet pœna nefas, deo
Tandem vindice cernimus.

Quod

Quod credas miſerum & triſte bonis, bonum
eſt,
Quod tu ſuaue malis, id miſerum & malum
eſt:
Chriſti dulce iugum eſt,crux quoque dulcis eſt,
Vmbra decipimur boni.

Vt lento ſuperi ſupplicium pede
Sonti conſtituant,tardius vt venit,
Sic punit grauius,ſupplici ſuam
Compenſat grauitas moram.

Hunc lugere nefas qui moriens mori
Iam ceſſat,ſcelus hunc dicere viuere
Qui viuens moritur,ſceptra gerens malus
Mortis tela manu gerit.

ACTVS QVINTVS.
PETRONILLA.

VT *lenta vitis brachiis errantibus*
Vlmum virentem amplexa ſe cælo
erigit,
Clarúmque tollit pampinis lætis
caput,
Vt cedit vlmus preſſa molli vertice
Lentóque triſtis triſte contegit ſolum,

Marcens inerti fronde vanáque interit,
Sic vitis olim tenera lentis brachiis
Parentem vt vlmum amplexa me infirmam extuli
Cœlóque iunxi, patris in radicibus
Innixa nata florui: iam vt concidit
Lentæq; robur filiæ ſuum negat,
Quid reſtat aliud tota quàm vt marcens cadam?
Quodcunque noſtræ frondis extitit decus
Quicunque fructus vite ſe noſtra extulit
Vno in parente ſe extulit, dum vis furens
Auſtri irruentis eripit patrem mihi
Vlmum reuellit, vitis vt fructus meæ
Sic frondis omne decus honóſque elanguit.
Nunc iam iuuentæ columen & robur meæ
Pater moritur, & coniugis thalamos cadens
Requirit, ego matre & patre extinctis, rogo
Tanto ſuperſtes nata viuo & funeri.
Sed erro, viuit quæ cecidit olim parens,
Viuítque genitor qui fide in Chriſti occidit,
Relicta ſola morior & viuens cado.
Quis me parenti reddet & patri dies?
Quæ crux paternæ me cruci additam, choro
Iunget beato, & lumini æterno inſerens
Hac nocte ſoluet? euoca natam parens
Buſtóque iunge, ſum parata conſequi.

NVNCIVS, PETRONILLA.

NVnquam ſatis nunquam ſuo edoctus malo
Satis populus, inſana vt aura ducitur
Tandem ſapit, nouæ rei miraculo
Pauet ſtupétque, ſe pauens damnat, ſuum
Agnoſcit errorem, & furorem principis
Taxat tyranni, ſanguinem inſontis viri
Luget, rubentem terram & ætheris ſui
Pullum colorem nubibus nigrantibus
Imitatur, ardet arma demens vt manu
Capiat paratus, ſæuit horrendum, & ſcelus,
Cuius fuit teſtis, nefáſque horret, genas
Rorantibus lacrymis rigat facti pudens.
PETR. Effare quæſo quod crucis genus, patris
Quis animus aura vitæ in extrema fuit,
Nec metue nata quod patris caſum audiet,
Hunc voce dudum miſera patris ebibit:
Hunc mente clauſum iam ſua dudum tulit,
Audeto tandem, nuncia quàm fortiter
Se comparârit ad crucem parens: fuit
Idemne mortis qui fuit vitæ modus?
Vt nata diſcam iam fide fulta optima,
Fulta & parentis optimi veſtigiis
Cum patre cæſo fortiter Chriſtum ſequi,
Sic quæ labaſcit nec ſatis firma eſt fides
Firmanda tandem, ſit procul reuocans timor.
NVN. Ergo vt corona militum cinctus, crucis

Alius acutos inſtruit clauos:minax-
Præfectus inſtat operi & vrget:pallidum
Ipſo apparatu vulgus,auribus excipit
Oculiſque quicquid dicitur,quicquid manu
Lictor ſceleſta tentat:at tuus nihil
Pater pauescens veſte depoſita,crucis
In mole membra ponit & tanquam thoro
Mollíque ſtrato ſomnus aut cibus foret
Captandus,ille ſic recumbit molliter
Subinde cœli lumen æthereum oculis
Animóque captans:iam cruce inuerſa caput
Pendet deorſum,iam manus claui petunt,
Diríque terebrant,iam ſacri ſurſum pedes
Tendunt,ahenus clauus aſtrictos tenet,
Extenta vinclis hinc & hinc rapientibus
Viſcera crepant:dum clauus in manum & pedem
Agitur,& ictus ingeminat æther ſono
Percuſſus,alium plebs ſua voce ingemens
Reddit,animóque vulnus illatum excipit
Quod Petrus ipſe corpore excipiens tamen
Animo ſuperat. PETR. *Heu heu,patris animus*
Plebíſque circum luctus & dolor,gradu (mei
Me pene miſeram deiicit,quin ingemam
Ego filia,meo vt vulgus in patre ingemit?
NVN. *Iamq; ipſa ſtabat crux, capite preſſo tuus*
Pendebat alto à ſtipite pater,ſanguinis
Riui fluebant,ecce membris ſaucius
Tamen os reſoluit,verbáque hæc ſumma inſonat:

Tu dux, ô Chriſte qui viam mortis mihi
Præmuniiſti, qui crucis gratum iugum
Docuiſti, ego ecce vt iuſſeras ſequi ſequor,
Et qua arte poſſum terra vilis te ducem
Dominum deúmque ſector, hoc mihi tamen
Non arrogans vt rectus in ligno manus
Pandens ſupremo vertice videam polum,
Nos vile primi hominis genus ſumus, caput
Qui terram in imam deprimens noſtrum quoque
Depreſsit, at tu ſolus excelſus deus
Erectus vnus atque ſublimis, mihi
Spectanda tantum terra, terra vt ſum ſatus:
Terræq; natus: at tibi cui ius datum
Cæli in micantis regiam orbéſque vagos
Cælum intuendum morte quod recluderes?
Quod ſpiro, viuo, intelligo, quod ſum tuum
Totum tuum hoc eſt, tu mihi ſolus deus,
Tu ſola vita, tu ſalus ſola excipe
Iam me cadentem. PETRO. *O digna patre oratio,*
Solare iam te patris ore filia,
Solare, téque tandem ad illius fidem
Compone: perge patris exitum mihi
Narrare, fœlix carcere ſui corporis
Vt liber euolârit. NVNC. *Ille vbi deum*
Pauca eſt precatus, gratias agens, ſuæ
Fidei miniſtros & gregem datum ſibi
Commendat: ecce nube clara cælicus

Axis

Axis tonare cepit, ætheris fragor
Auditus, ille nocte depreſsis genis
Vt clauſit oculos, ſpiritum Chriſto dedit.
PETRON. *Deſine iam iam plura efferre,*
Deſine quiſquis luges, miſerum
Dicere patrem, deſino nata
Lugere, pater fœlix moritur
Fœlix viuit, lucémque videt
Ad quam è tenebris méque meóſque
Euocat altis præuius alis.
Nos iam miſeri qui ſic agimus
Nocte vt preſsi denſa lucem
Non hanc queramus quam nobis
Aperit Chriſtus, Quámque imitator
Chriſti ſequitur: fœlix viuit
Pater, infœlix filia morior,
Victura, patri iuncta vt fuero.

AMAN, TRAGOEDIA, PERSONAE.

AMAN SENEX	HESTER REGINA,
ASSVERVS REX	PRIMA ANCILLA
MARDOCHEVS	SECVNDA ANCILLA.
CHORVS.	
ATHACH	
ARBONAS	

ACTVS PRIMVS.

AMAN.

ERgo ſuperbos vſque adeo aget ſpiritus,
Miſerrima de gente Iudæus ſatus,
Fex,puluis,alga abiectior viliſsima,
Vt ſolus vnum negligat?ſolus genu
Non flectat vt prodeo palam?Quid proh deûm
Cœleſtium fidem,cuiquam vt ſit viro
Vecordiæ tantum,aut ſuperbiæ,tremant
Quem omnes,reuereantur,colant,vnus tamen
Vili faciat?vni meus honos ſordeat?
Non ſic ſepulta concident odia,& meus
Inuictus iras animus efferet,dolor
Bellum cruentum pace ſublata feret.
Hem!tanta vilitas meum ſic ſpreuerit
Honorem,vt obuius loco non ceſſerit?
Et vnus ignoto ex loco & gente extera,
Non pareat mihi,nec aſſurgat prius?
Adſit profundo tartari fundo excita
Furens Erynnis,flammeis ſpargens comis
Ignes,& atra virus infundat manu,
Inſpiret animo vindices iniuriæ
Modos viáſque:nimius in mora dolor:
Miſerè peremptus ſpiritum inimicum expuat.

SENEX, AMAN.

VErum eſt id, omnes quod graues dicũt ſophi,
Eſt vultus animi index, nihilq; intus latet
Secretius, quod non vel inuitus ferat,
Ita arduum eſt animo tuo quæ incluſeris
Non illa quaſi loquente vultu prodere.
Hic ſemper arcani eſt latentis proditor,
Semper quod intus deliteſcat, detegit.
Ego adeo Amanis cùm mei vultum prope
Intueor, & modo inſolenti turgida
Ora, & fluentes hinc & hinc variè genas,
Neſcio quid in eo ſuſpicer clauſum mali:
Sed obambulantem video. Quidnam curſitat?
Quid ſolus ille neſcio quid muſſitat?
Quid nunc reſiſtit? Quid rapitur? & quid polum
Nunc ſpectat altum? quid oculos nunc in ſolum
Defigit? alloquar hominem, & quid ſit, ſciam.
AMAN. Perge ira perge, ſuperba meditantem opprime,
Congredere, manibus ipſe iam lacera tuis.
SENEX. O clarum Amadathi principis magni genus!
Quidnam ſibi hæc vult mentis indignatio?
Quid verba ſolum ſanguinem minitantia?
AMAN. Iam ſentiat, poſſint quid armata manus,
Et quid potentis poſſit ira principis.
SEN. Qui ſæuit intus acrior mentem excoquit.

Quàm qui caminis ardor Aethnæus furit:
Hoc præpeditus dum pœnitus exæſtuat
Aduertit ad ea quæ ſibi dicunt minus.
AMAN. *Et Mardocheus hoc inultum à me ferat?*
SE. *O Aſſueri ſpes, O Regni Perſici*
Tutela, quid ſic ferris animis impotens?
Quæ tam grauis te cura reddit anxium?
Certè expetendus precibus & votis dies
Tibi refulſit, Aſſuero principi
Dum nullus vno amicior vel charior.
O qualis, altos quantus excedis viros
Dum te ſecundum à Rege tam claro vides,
Ex cuius arbitrio manúque pendeat
Quicquid hodie in regno mouetur Perſico.
Ergo quid alto honoris in faſtigio
Nunc Mardocheo tam graues ſtruis minas?
AMAN. *Qualis ſepulta flamma quam tegit cinis*
Spirante vento redditur vehementior,
Talis recluſo deliteſcens pectore,
Seſéque vix ſuo loco ira continens
Perrumpit & verbis tuis accenditur.
Dum tu potentiæ meæ extollis gradum
Dum gratiam coram Aſſuero prædicas,
Quid non dolorem irámque concitas meam?
Sit tanta dignitas mihi, potentia
Sit tanta, tanta his in locis authoritas,
Quam quiſque cœlitus veluti lapſam colat,
Quid

Quid illa prodeſt ſi minus meritum poteſt
De Mardocheo ſupplicium habere? aut AMAN
Aut Mardocheus concidat: ſolus genu
Non flectat vt prodeo palam. SENEX. *Quid hoc rogo?*
AMAN. *Curuaſſe quod non nouit, hoc ferro genu*
Curuare diſcat, diſſcecentur poplites,
Erroris vt poſt ſit ſui non immemor.
SEN. *Meliora mente concipe, atque animum excita.*
Hoc ſacra pietas, hoc deûm numen vetat.
AMAN. *Atque hoc parum quidem eſt niſi etiam poplite*
Succiſo animam inimicam is euomat mihi:
SENEX. *Nimium iſtud eſt quod cogitas animo ſcelus,*
Iniuriam facere grauius eſt quàm pati.
AMAN. *Quin eſt puſilli animi, pati, quod vindice*
Poſſis manu punire. SENEX. *Quin magni viri*
Cùm tu queas iniuriam vlciſci manu,
Hanc negligere: ſublimis animus hic viri eſt,
Hîc vera fortitudo & inuicta emicat.
AMAN. *Non vnus in pœnas ſatis mihi.* SEN. *Quid hoc?*
Vis innocentes ſanguini etiam addicere?
AMAN. *Animo melius erit meo quò ſanguinis*

Plus fuerit effuſum, meus ſpectaculo his
Paſcatur oculus, auris in ſingultibus
Suſpiriiſque generis hoſtilis, ſuo
Senſu fruatur: His *ſua voluptas, ſua*
Oblectatio. SEN. M*iſerrima omnis eſt ea*
Quæ luctibus doloréque alterius venit.
AMAN. G*rata eſt voluptas quæ hoſte lugente afficit.*
Stat mente I*udæum omne genus euertere:*
Gens ipſa hominis etiam ſui ſuperbiam
Luat: ſuo periculo cognouerit
Quàm tutum A*manem temnere.* SEN. H*oc lugubrius*
I*ndigniúſque quàm tuum ferat genus.*
Quod vnus offendit, luere reliquos nefas.
AMAN. I*niuriam vlciſci acrius quiſquis poteſt,*
Facit magis animi quod habeo nobilis.
Nec temperari facilè nec reprimi poteſt,
Quod ira conceperit animo odium ſemel.
Pereat A*man, dum ſe modò vlciſci queat.*
Rex alloquendus eſt ea de re mihi.
SENEX. E*n plenus ira* R*egiã petit domum*
Regi A*ſſuero quò miſerrimæ necem*
Gentis procuret: Sed videns deus omnia
Regit potentiore quæ fiunt manu.

ASSVERVS, AMAN.

VLtus parentis ſum mei hac manu necem,
Traiectus enſe dum meo eſt Artabanus,
Manéſque patris manibus ſequitur ſuis,
Vidit iacentem populus illum Perſicus,
Terram cruento polluentem corpore:
Vidit ſuperbos euomentem ſpiritus,
Quem ſæua rabies, quem impium & dirum ſcelus
Mei in parentis & meorum ſanguinem
Cùm perpuliſſet, non fuit tamen ſatis
Nî quoque peremptus fratribus fierem comes.
Iacet obrutus qui ſceptra noſtro ſanguine
Sibi parabat: recidit in caput nefas
Quod moliebatur. AMAN. Patris cædes tui,
Fratrúmque, vindicata conſtanti manu,
Prima pietas fuit tibi, & primum decus,
Spes prima victricis manus, ſpes illius
Florentis imperi quod auſpicibus deis,
Tuíſque viribus potens adeo vides,
Vt mole prorſus pene concidat ſua.
Qua parte ſol ſurgens ſuam lucem trahit
Dum ſubditam prætervolat curſu Indiam,
Qua parte clarum proferens idem diem,
Nigros calente tingit AEthiopes face,
Indomita virtus tua celebratur, tuum

Nomen colitur, & ſydera ferit aurea.
Cœli ſuprema Iuppiter tonans regit,
Partitus orbem cum Ioue regis infima.
ASSVE. *Virtute magnum eſt qua diem Thetis premit*
Aperítque, fines imperi protendere
Sed parta quæ ſunt ſtrenuè defendere &
Videre lapſu ne repentino ruant
Virtutis hoc & laudis haud minus eſt opus.
Ergo pro ea qua aſtringeris nobis fide,
Tibi videndum clarius regnum mihi.
Quò ſit relictum labe ne aliqua corruat.
Quid tandem? An eſt res vnde regnum concidat?
AMAN. *Per illud orbis quod oculis video iubar,*
Per illa ſceptri Perſici faſtigia
Quod mihi mea vita ſalutéque charius,
Quod vel ſacris aris mihi ſit ſanctius,
Iuro, nihil regno tuo fœlicius
Si modò leuaretur malo. ASSVE. *Quonam?*
AMAN. *vnico:*
ASSVE. *Ne cœla aliquid, & quicquid eſt mihi expedi.*
AMAN. *Rectè regendæ gentis hæc cura optima*
Et prima ſemper eſt habita mihi, ratio
Vitæ vt eadem legéſque populum aſtringerent:
Par religio, par ritus & conſenſio
Coniungeret: Nam vbi vario more incitus
Diuiditur in ſe populus, alter alterum,

Dum amplectitur ſtudium, & ei ſeſe alligat,
Concordia eſt minor, minórque eſt charitas.
Iam populus eſt prouinciis regni tui
Immiſſus, à ſe mutuò etiam diſſidens,
Qui legibus ſtudet nouis & ritibus
Superbus, arrogans, tuíque negligens
Scita imperi, qui ſi ſuperfuerit diu,
In præcipitium Perſicum regnum trahet.
Permitte, Rex, (fiat bono quod publico,)
Malorum vt hæc ſentina purgetur, locis
Exhauriatur fex & excedat tuis.
Decerne, ferro noxia vt radicitus
Tollatur herba, plus ſatis fuit inſolens,
Licentiáque plus ſatis ſibi dedit.
Addentur, hoc ſi fit, talentûm millia
AErario tuo decem. ASSVE. *per hoc caput,*
Meiq; manes quos ego vltus ſum patris
Iuro, nihil me velle noxium pati:
Ferro ſecetur putre quod membrum eſt ſemel:
Iſta tibi ſit pecunia, ſatis eſt modò
Hac parte regno conſulas meo, annulum
En de manu mea meum tibi accipe,
Obſigna ea de gente quod tibi placet.

CHORVS.

NOn eſt tanta rogi flamma, calentibus
Cùm nutrita focis euolat altius,

Non tanta imbriferi vis ſuperans Noti,
Non ſtricti gladij, quanta ſuperbiæ:
Hæc innata ſemel, nil moderabile
Paccatúmque ſinit, cæcus in intimis
Ignis viſceribus ſerpit & additos
Frenos non patitur, nec recipit manum.

Titanum genus hoc igne ſuperbiens
Audax æthereas irruit in domos:
Hoc auſus ſuperis ſidere ſedibus
Supremóque dei ponere ſe loco.
Primus cum ſociis decidit angelus,
Tam lapſu ſtuuios preſſus ad inferos
Altum quàm volitans appetiit locum.
Quid non hoc Adami prolequitur furor
Dum fructus vetitæ percipit arboris?
At longè grauior nata ſuperbia
Quam viuax odium vipereo ſinu
In ſe tartareis ſeminibus fouet.
Implaccanda comes nec ſatiabilis
Vindictæ ſitis eſt, quæ ſimul ac virûm
Impreſſis facibus pectora concoquit,
Non flammas grauius mons Siculus vomit,
Non fertur citius qui tumidis fluit
Torrens Iſter aquis. Fratris id impij
Caini docuit triſte nimis ſcelus,
Quem non tergeminis flexit honoribus
Quondam inuiſus Abel, nec prius abſtitit

Quàm fratris calido dextera ſanguine
Crudelis patris diſiiceret locis,
Cuius ſacra ſuo grata magis deo,
Mactatíque gregis corpora crederet.
Hoc Saulus docuit, quem ſimul ac decus
Dauidis tetigit, non potuit prius
Ardentes odij ponere malleos
Quàm vitam fluido ſanguine poneret.
En (ne antiqua petam) nota ſuperbiæ
Vis, vno exeritur plus ſatis in viro,
Vis abſtruſi odij: Qualiter incubat
Agnis dum trepidant, Armenius leo
Sæuùm dente fremens, haud aliter fremit
Iudæum in populum clade ferox Aman.
Edicto poſito cædibus imminet
Hæbrei generis: iam bona, iam miſer
Mixto ſanguine deuorat.
Quî ſcis? vrna manu ducitur, exprimens
Quis menſis veniat commodus, aut dies,
Sortitò miſerum quo pereat genus.
Iam ſortem miſeri percipiunt viri,
Iam cuncti pauitant, iam lacrymis fluunt,
Iam toti miſeris fletibus incubant:
Ecquid iam ſupereſt ſumme deus, niſi vt
Frangas auſa manu tam furialia?

Sanguine cuius poſt paulo (ô dolor)
Omnia tanquam flumine diff luant?
O male noſtri cura officij
Tradita, fruſtra ô cibus inſumptus
Manibúſque meis datus infantis
Os ſub teneri! Siccine noſtri
Periit fructus quiſque laboru?
Siccine adultis annis, noſtri
Tam cito meriti gratia lapſa eſt?
Creuit vt ætas ſimul accreuit
Sceleris omnis noua propago?
Ducat choreas ingrata ſuas,
Saltet pedibus læta ſolutis,
Tyrio geſtet murice veſtes,
Pater obducto ſcalidus ore
Longo gemitu triſtia gentis
Miſere preſſæ funera ploret.
Flexis genibus terra prematur:
Puluere ſaccus plenus obumbret
Sacrum gladiis caput infœlix,
Victima noſtræ placet hæc nata.
Sed quid reputo hæc fruſtráque queror?
Heſter poſito fortè timore,
Regem lacrymis flectet obortis:
Flectet precibus, vultúque ſuo
Principis altos animos franget:
Fortè iuuabit regi inſidias
Detectas olim & ſcelus impium,

Quo caui ne caderet quondam
Inceſtis Eunuchi manibus.
At quænam in eo eſt ſita ſpes, quando
Multos in reges beneficij
Gratia rara, offenſa tenax eſt?
Eſto, permittat mihi vitam,
Noſtri rex meriti non immemor,
Mihi quod credam viuere munus,
Triſtia ſi poſt populi noſtri,
Solus maneam fata ſuperſtes?
Simul occumbam, ſimul aut viuam,

HESTER, ATHAHCH.

PRoh ſumme cœli rector, & mundi arbiter,
Vſque adeo ne hominum res agit neceßitas,
Nolint, velint, eos tamen periculum
Etiam in apertum pertrahat? ſic implicet,
Vt nullus illos niſi deus aliquis explicet?
O dura fata, triſtia, aſpera, horrida,
Si ſic neceſſe res agi mortalium,
Certi vt nihil habeant, ſed vt ſe proximos
Iam portui putent, procella eos noua,
Nouum calamitatis genus etiam obruat?
Sic Mardocheus me parum, & vitæ meæ
Curet ſalutem, vt regis in iuſſum mei,
Me non vocatam petere regiam velit?
Flens, ſacco opertus, ſqallidus, doloribus

Nullū

Nullum ſuis niſi quem dabo habiturus modum?

ATHACH. *Res eſt ita vt dixi.* HEST. *Repete queſo altius*

Quis illius fuerit ſtatus, quæ oratio,
Quæ facta, gaudet animus ærumnas meas
Audire totas, ede & enarra omnia.

ATHA. *Vt primùm ego vt iuſsiſti ad ipſũ prodij*
Repertus in platea vrbis eſt media mihi,
Non qualis olim quem ſeueritas prior,
Quem dignitas, vultúſque decoraret grauis,
Qualis fluentem Apollo præcingens comam,
Vultu decoro patriam Delon petit,
Hoc ante tempus tale vidimus tui
Os Mardochei, talia oculi ſydera,
Sic diffluentes crinium ſparſos globos.
Nunc quanta vultus illius mutatio?
Quænam oris eſt facies? eum iam diceres
Tetri ex auerni vel ſtigis tractum lacu
Vulcaniíſque educere caput ex focis.
Veſtis lacera, laxo ſinu hinc atque hinc fluens,
Neglecta barba, puluere & cœno obſita,
Paſſus capillus, oris informis decor,
Scallens & horrens ſordibus vultus, genæ
Lacrymis graues, oculi caui, horrida macies,
Vox rauca crebris impotens ſuſpiriis,
Abrupta quoque frequentibus ſingultibus,
Incertus, huc illuc ferens ſeſe gradus,
Qualis furore quiſquis agitur bachico,

Aut præ dolore fertur animis impotens:
Is ſacco opertus vnguibus lacerans ſuis
Crines, capútque, pectus obtundens manu,
Tota vagatus vrbe querulos perſonat
Luctus & altis complet aſtra vocibus.
SEST. *Age, age, miſeri hominis amplius vocem exprime,*
Quid dixit vbi toga eſt data & me nominas?
ATHA. *Vt nomino te, tuáque mandata efferens,*
Illam offero quam tu mihi dederas togam,
Candidi in olympi ſydera oculos erigens,
Diúque ſolis intuitus ardens iubar
Suum lacertu ter quater tetigit caput,
A ſummo ad imum diſſecans veſtem ſinu
Exclamat: & ſi diis placet, veſtem induet
Hanc Mardocheus? ſumet iſtam purpuram
Cui ſuo tingenda ſanguine iam noua
Eſt purpura? vnguento oblitas veſtes feret
Cuius per artus actus enſis ſeparet
Vicina coſtis: viſcera? Hanc veſtem meis
Submoue oculis Athach, minus doloribus
Aptam meis, Heſter ſuíſque deligit:
Tum quod tibi exemplar dedi edicti impij
Profert, ſuóſque lacrymis implens ſinus
Hoc Heſteræ da, dixit, vt legat, genus
Videat ſuum diris ſacratum cædibus:
Poſita mora regi offerat ſe ſupplicem:
Suis precibus auertat à ceruicibus

Populi ſui miſerum imminens cadis genus.

HEST. *O dura verba, edicta dura, quidnam ait*

Vbi nuntias vetitum aditum regis mihi?

ATHA. *Vbi nuncio hæc, factus animi aliquantùm impotens,*

Vox faucibus adhæſit, quam vbi recepit ſenex,

Ingrata & infœlix nimis, ait, Heſteres

Cura, ò labores circa eam vani mihi!

Ego quam parentis in loco pro filia

Eduxerim, quam molliter habuerim, mea

In qua ſenectutis leuamen fixerim,

Et præſidia gentis locauerim omnia,

Ego hanc ego vnquam duxerim capitis ſui

Periculo non conſulere genti ſuæ?

Valeat, abeat, ignaua, iners, tantum ſibi

Suæq; vitæ conſulat, iamiam petat

In aureis thoris cibos, & purpuram:

Nunc Mardocheus cum ſuis ſæuæ neci

Iugulum parans, propinqua fata lugeat,

Hæc hæc ſenectutem meam manet quies.

HEST. *Abſiſte, quæſo, abſiſte plura dicere,*

Vox iſta patrui flebilis animum vlcerat,

Audire plura non queo iſtiuſmodi,

Iam ſentiat animum meum, meam probet

In ſe voluntatem, ſalus vilis mihi

Et vita ſit, celer redi & renuncia

Dum cum meis ancillulis ego tres dies

Noctéſque totas abſtineo potu & cibo
Ieiunet idem cum ſuis: ego hinc tribus
Actis diebus deprecata maximum
Rerum tonantem, me meo periculo
Vitæ, Aſſuero non vocata proferam.

ATHACH.

Qua parte ſurgit Lucifer
Qua parte ſurgit Heſperus,
Qua plauſtra agit Septentrio,
Qua Phœbus axe torrido eſt,
Hac luctus omnis perſonat,
Frequentibus dum pectora
Nudata tundunt ictibus.
Diſruptus axis cœlicus
Reſpondet ipſis planctibus.
Quacunque greſſum profero
Qua lumen hoc circunfero,
Tantum dolores perſonant,
Tantum iacentes ſcallidos
Sordente ſparſos puluere
Aſpecto, ſpectans conqueror.
Iudæa quondam natio
Deo timenda principe,
Quæ dum nouis tumultibus
Bello imminente ſternitur,
Vbi noua eſt neceſſitas
Nouiſque caſus ingruit

Sentit

Sentit iuuantem dexteram.
Rex nouit hoc Aegyptius
Qui perſequutus copiis
Diuiſa vidit æquora
Patere diſcedentibus.
Cognouit hoc Saulus ſui
Dauidis vt vidit manu
Ingente mole corporis
Stratum puello militem.
Cognouit hoc qui fœminæ
Iudich potenti dextera
Vidit ſuperbi principis
In caſtra delatum caput.
Ergo noui quid accidit
Nouis quod acta caſibus
Tam chara diuis natio
Abiecta ſic proſternitur?
O mira ſupremi Iouis
Arcana! num quicquid facit
Miro notatur exitu?
An is ſuos premi ſinit
Duríſque rebus obrui,
Vt (quōd ſolet ſæpe exequi)
Potentiorum diſsipans
Vires, ſuóſque liberans
Suæ magis potentiæ
Nomen colendum proferat?
Et liberis periculo

Aumen celendum preferat?
Et liberes periculo
Sit cauſa maior gratiæ?
Sed hiccine eſt quem querito? Et certè eſt, viri
Proh miſeriam huius cernite vt multo grauis
Scallore vultus obruat mœſtos coma,
Q iàm fœda iaceat barba cœnóque hiſpida:
Nec ſe quieti reddit & ſomnì immemor,
Dies querelis ducit, & noctes trahit.

MARDOCHEVS, ATHACH.

O Magne cœli rector, Ecquem caſibus
Noſtris ſtatuis, & grauibus ærumnis modum?
An non tuos tandem eriges fractos deus?
In te fatemur, eſt ſcelus noſtrum graue,
In te facinus admiſimus, Nam quis virum
Qui non (niſi manu tua leues) cadat?
Sed non ſumus quos vene is obſcœnæ faces
Cupidóque vetitus nefando igne excoquant.
Quin ergo ſumma vis deûm cœleſtium,
Rector parénſque, cuius imnutiſu trèmunt
Humana telus impiam regis manum
Compeſcis illa qua magis potes manu?
ATH. *Quieſce tandem & parce luctibus tuis,*
Optime ſenex, & ad bonam ſpem te excita,
Factura nam regina quod tu præcipis,

ſuiſque

Suíſque comitibus integros per tres dies,
dem tibi tuíſque Suſis imperat,
Vt redditus clementior precibus deus
Emolliat crudelis iram principis.
MARD. *Sic quaeſo?* ATHA. *Sic eſt.* MAR.
Iam incipit miſeros deus
Reſpicere, abito & Heſtere denuncia
Quod ipſa mandauit, mihi curæ fore:
Luxu caro ſuperbiens, ieiunio
Dicto inſolentes ſpiritus iam reprimet.
Iudæa gens, ô turba ſollicita mei
Comites doloris, quo idem fatum manet,
Ferite palmis pectora, & planctus date,
Et iuſta veſtro facite lacrymis luctui.

CHORVS IVDAEORVM,
Mardocheus.

NOn rude vulgus lacrimíſque nouum
Lugere iubes, hoc perpetuis
Egimus annis: ex quo Iairi
Iudæ regis cineres vſtos
Fera mors triſti condidit vrna
Senſim populus lege ſolutus
Cultúſque pij & moris patrij
Immemor, atri ſe ſeruitij
Vidit miſerum clade grauari.
Vidit tacita veluti labe

Sæpe reſurgens domuit pauco
Milite multas regum copias,
Nunc æquorea vilior alga
Sparſus varia ſede laborat:
Nunc imperij iura ſuperbi
Errans patitur victórque prius
Timet imperium quod ſe timuit.

Ergo aſſuetos repetet luctus
Triſtis populus cum noua fletus
Cauſa miniſtret: non indocile
Lugere ſuos primùm caſus
Vulgus dominum vile ſequetur.
Minus vlciſci ſi datur, ipſum
Lugere tamen magna voluptas.
MARDOC. *Quod vos facitis, frangite crinem:*
Per colla cadant mœſta capilli:
Puluere turpes reddite vultus,
Cingite vili velo capita:
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus: corpus macie
Subducta Ceres *Bachúſque premant:*
Patrum redeant luctus veteres:
Solitum fletus vincite morem.
CHO. *Precibus ſummi dextra tonantis*

Fulmi

Fulmina cùm iam mittenda parat
Ignéſque quibus ſcelus expurget
Sæpe repreſſo eſt lenta lacerto.
Vt multo ſenio tremulas manus
Moſes agit æthereum in cœlum
Summúmque deum prece ſollicitat,
Pauco milite multa in millia
Noſter populus pugnans ſuperat.
Vidit decies ſordidus vuis
Autumnus, vidit hyems decies
Triſtis, miſerum nos ferre iugum
Quod Iabini ſceptra dederunt.
Vidit precibus fuſis veniens
Aeſtas duro rege ſolutos
Monte Taboro tonitru ſubitum
Et fulmineos mirante ignes
Et ferientem aduerſa procellam.
Grandine vidit cœlitus acta
Hoſtiles in ſe furere manus.
Vidit ſtupido tela lacerto,
Enſéſque feros quos extulerant
Vna cum animo & ſenſu cadere.
Vidit Siſaram clauo ferreo
Tempora fixum vtraque iacentem:
Vidit Barachi manibus foſſum
Regem lacero corpore terram
Vaſta circum cæde prementem.

MARD. *Non hoc hominum ferrum potuit,*
Non hoc acies, non hoc gladius,
Non ignis Vulcani recoquens
Triſtia iunctis orbibus arma,
Vna ſed alti dextra tonantis,
Dextra precanti nunquam populo
Quæ præſidium promptum tenuit.
Ergo nouentur vota, precéſque:
Audiat alto placidus cœlo
Qui ſyderei eſt rector olympi,
Populi fletus cernat, & oris
Triſtes habitus.
Vos alternis mecum precibus
Nobis facilem quærite patrem,
Quo veſtra ſalus vltima fixa eſt:
Hic hic requies, hic præſidium eſt.
CHOR. *Agito primus, vota ſequemur.*
MARD. *O deus æquis luſtrans oculis*
Humili quicquid ſurgit in orbe,
Aſpicis alto iudex ſolio
Preſſæ nimium ſemina gentis?
Iam reliquias cernis populi,
Promiſſa fuit cui terra prius
Lactis melliſque premi miſerè,
Vilem fieri cernis penitus
Humili ſparſam puluere gentem
Cui tot ducibus vincere quondam

Regnum

Regum dederis bella potentum.
En quia ſoli tibi quem tantum
Poplite flexo queris honorem,
Non habet hoſtis tumefactus Aman,
Quod non illi ſupplex venio
Pronúſque cado, mihi non tantum
Crux, ſed populo dura parata eſt.
Exurge igitur, qui cuncta potes
Supreme deus, cuius manui
Altorum cedunt vires hominum,
Exurge deus populíque tui
Ne reliquias ſperne, Aegypto
Quas tua quondam dextra redemit:
Sterne furentes regis gladios,
Vince minacis principis arma.
Dele tua qui delere volunt:
Scallor populi luctúſque abeat:
Gaudia fletum noſtra ſequantur,
Gloria veri vt viuax domini
Merito nobis perſonet ore.
CHOR. *Tu deus ille es qui prece* Moſis
Caſtra immiſſo ſoluis ab igne,
Cuius ſacri vt fœderis arca
Iordani admota eſt, ſtetit amnis
Curſúſque ſuos mirans tenuit.
Tu deus ille es cuius eandem
Vrbs Hiericontis non tulit arcam
Simul ac ipſis proxima muris

Iungitur, vrbis mœnia tanquam
Ictu valido quaſſa labaſcunt.
Tu deus ille es qui Balaami
Ore prophetæ dum premit hoſtis,
Noſtri es dictus columen populi
Quo duce nullis concidat armis.
Tu deus ille es quem vanorum
Simul ac lædit forma deorum,
Dextram populo renuis ſolitam,
Regíſque iugo ſubdis iniquo.
MARD. *Proſit id igitur, tibi ſi tantum*
Meritum quem vis demus honorem,
Fac tuus vt ſit qui fuit olim
Per te populus: Tu *deus illi*
Tu ſpes, animi vigor atque ſalus,
Atram capiti diſiice nubem.

ACTVS TERTIVS

Heſter.

QVi manu fulmen pauitante mundo
Mittis, & crebro tonitru ſtupentem
Territas gentem modò ſolis ardens
Aduehis lumen, modò nube denſa
Obtegis clarum iubar & reducis
Lumina phœbes.
Tu deus quondam patris Abrahami

Cuius;

Cuius vt vires regis, & potenti
Dextera firmas, cecidere reges
Quinque victores prius, & receptus
Frater hoſtili fuit à ruina.
Audij quondam genitoris ore
Vt genus noſtrum patrio tuliſſes
Ex loco, terram vt melioris arui
Omnia ex ſeſe bona proferentem,
Traderes: dictum rata ſubſequuta
Eſt fides, dictam tetigere terram,
Melle quam dulci & niueo viderent
Lacte fluentem.
Nos tui obliti deus, hunc honorem
Quem tibi ſoli petis, impiarum
Gentium diuis dedimus, prophana
Monſtra ſectati, genus inde noſtrum,
Clade bellorum varia fatigans
Hoſtibus tradis, manibúſque ſubdis
Principis, noſtro fera qui pararit
Vincula collo.
Hoc iugum quondã meritum fatemur,
Hoc malo dignum facinus, deorum
Monſtra dum pluris facimus, merentem
Quàm deum, cuius manibus recepta
Vita fuiſſet.
Sit ſatis preſſo populo tyrannis,
Principum infœlix ſatis inſueto
Seruitus collo, liceat carere

Hæc nota, ne nos malè perditorum
Dæmonum ardentes ſimulachra, dignam
Nos tui & iuſtam reuocemus in nos
Numinis iram.
Ecce nunc nobis tua ne loquamur
Nomina, & templis meritos odores
Thuris accenſo faciamus igne,
Obſtruunt voces manibúſque noſtris
Vincla componunt, ſua quò loquantur
Monſtra, & inſano decorata cultu
Carmine tollant.
Exteræ ne tu tua ſceptra genti
Trade, ne noſtro capiti ruinam
Apparent, totam reuoca parantis
In caput fraudem, pereat petitis
Enſibus noſtri ſitiens cruoris
Impius hoſtis.
Puluis aſperſus capiti, geniſque
Quæ meis ſtillant lacrymæ, dolores
Si mouent noſtri, cereríſque mouet
Vſus abductus, minus & iugales
Barbari regis placuiſſe tedas,
Proſit ancillæ minus obſequutam
Perſico regi, iuuet & pudoris
Regula recti,
Qui potes vinclæ reſerare linguæ
Clauſtra, qui vocem potes & ſolutam
Stringere, & laxas dare nunc habenas,

Nunc eas ſtricto retinere nodo,
Da deus, linguæ decus & ſuauem,
Gratiam inſpira, fera quo furentis
Corda mulceri valeant premiq;
Ora leonis.

PRIMA ANCILLA, SECVNDA ANCILLA, HESTER.

EN *vis doloris maxima, vt deſæuiens,*
Immutat oris gratiam! vt roſeis genis
Suum colorem detrahit! qualis Venus
Formoſa ſacram dum ſibi viſit Paphum,
Talis decoro apparuit vultu Heſtere
Vt Aſſueri principis iuncta eſt thoro:
Sed nulla poſtquam cereris & ſomni ſubit
Cura, & ſeuerius ora prægrauat dolor,
Non eſt is olim qui fuit membris vigor,
Non ora tingens roſea purpureus rubor:
Populatur artus mœror, & greſſus tremunt,
Pulchérq; nitidi corporis cecidit decor.
SEAN. *Iam qui tenebant ſigna phœbeæ facis*
Oculi, nihil gentile, nil patrium micant,
Lacrymæ fluunt per ora, & aßiduo genæ
Rore irrigantur, Caucaſi quales iugis
Tepido madeſcunt imbre perfuſæ niues.
En vt cinere reſperſa vultus & caput
Operta ſacco, genibus inflexis, humi

Procumbit orans, & ſuis lacrymis rigat.
Iam macerauit ſe dolore plus ſatis,
Demus operam vt lacrymis ſuis ponat modum.

PRI. ANCIL. *O ſola generis ſpes tui, & regni decus*
Regina, nullum ſi facis luctus modum,
Si ſemper artus intimus rodit dolor,
Grauéſque curæ animum coquunt, ecquod tibi
Sperare poſſis gaudium, & vitæ genus?
Iam ter reſurgens Phœbus Oceano caput
Immerſit alto, iam ſuis equis ſoror
Ter ſubſequuta candidum exeruit iubar,
Nec Phœbus ipſe te tamen nec Delia,
Guſtare vidit flaua quæ Ceres parit,
Non quæ Lyæus pampinis profert ſuis
Non quas tumenti nutrit vuas palmite.

SECVN. ANC. *Ter rebus vmbram terra diffundens ſuam*
Spectanda claro ſydera reduxit polo,
Gratúſq; cunctis nocte ter rediit ſopor.
Hinc nulla te tamen quies, nullus thorus
Cepit iacentem, pro thoro molli ſolum
Durum, ſoporis in loco cura, & dolor,
Crebræq; mixtis planctibus preces, ſatis
Iam te grauaſti luctibus, precibus ſatis
Ieiunioq; traditum eſt, animum excita
Tuãq; hilaris & læta frontem exporrige.
Quiſquis nimius eſt, is ſuos tollit dolor.

HESTER. *Nullus moleſtus eſt dolor volentibus,*
Et ſæpe multis flere caſum ſubleuat,
Qui non poteſt ratione fletu effunditur.
PRIAN. *Miſera doloris ratio qui ſic effluit,*
Vt omnium rerum, dolorum ſic vices
Fas eſſe certas, audit afflictos deus,
Vanáſq; gentis non ſinit ſuæ preces.
HESTER. *Ergo Niniuitis vnus in lacrymas dies*
Sat viſus olim, dum ſuis ceruicibus
Quod immineret precibus auertunt malum?
Iudich ſuperbi caſtra regis vt ſubit,
Quò ſæuientis reprimat hoſtis impetus,
Et ſeruitutis tollat impendens iugum,
An vno opus habuit ad preces tantùm die?
Leuanda multis precibus eſt neceſſitas,
Et qui ſupremo regnat in ſolio deus
Vt plurima gaudet prece, etiam flectitur.
SECVN. AN. *Non ſi leænæ ſuxerit rex vbera,*
Non ſi ſilice vel caute pectus durius
Habeat, rigorem non penitus omnem exuat.
Qui ſolus inflectens feros mollit deus
Senſus virorum, & barbaras mentes regit,
Prece motus is regis premet ferociam.
Facıléſq; cultus adferet: domini in manu
Si regis eſt cor, poſſe quid frangi times?
HEST. *Agite ergo, quod fæliciter vertat deus,*
Vos, ô puellæ ſcallidos abſtergite
Vultus, amictus regios producite,

Mutentur iſtæ veſtibus ſordes nouis:
Cingatur iſtud gloria ſua caput,
Quò regis ante oculos mei placeam magis,
Senſuſq; ſplendor intimos demulceat:
Formæ venuſtas, & decor ſenſim influens
Cor igne ſecreto mouet.

CHORVS.

SI non fama volans de Ioue ſeminat
Vanos concubitus, quem modò candidi
Sub Cygni ſpecie commemorat ſinus
Lædeos tepido ſtringere pectore,
Nunc narrat Danaen imbre ſub aureo
Tentare, æthereis migret ab orbibus,
Amplexus niueæ quò petat Heſteres.
Non huic Læda ſuum præripiat decus,
Non Europa vagi fluctibus æquoris
Tauro abducta truci: Tyndaridos ſuæ
Formam Priamides iactet, & ignibus
Emptas Iliacis faces,
Non Hebræa tamen fœmina ceſſerit,
Argiuo decori: cui voluit deus
Inſpi are ſuæ numina gratiæ,
Nonne hæc exuperat Tyndaridûm decus?
Qualis dum c oceos aurea coniugis
Dimittens thalamos exoritur nitens
Aurora æthereum dum reuehit diem,

Talis

Talis depoſitis luctibus emicas,
Heſter, purpureis dum recipis genis
Dignam corpore purpuram:
Demirata ſuum fama prior decus
Tecum ſi reputet, iudice ſe cadat:
Tanto lucidior forma tibi nitet
Quanto dum coeunt cornua cynthiæ
Iunctis ignibus eſt clarior, & rubens
Plenis gratior orbibus.
Mirum? non Venus hanc Cypria ſed deus
Effinxit faciem, verbáq; tradidit
Is qui cuncta facit, quiq; poteſt deus,
Qui Iudith viduæ compoſuit decus
Quo duri alliceret pectora principis:
Illo facta potens numine, regia
Coniux ingreditur, quæ facie ſua
Vincens barbariem ſunerea genus
A cymba retrahat ſuum.

ACTVS QVARTVS.
ARBONAS. CHORVS.

IAm ſollicitas pellite curas
Iudæi, excedat timor omnis,
Feſtos agite, et renouate choros.
CH. *Quid iſtud eſt, rogo, quod*
iubes miſerum genus
Finem dolori ponere & feſtos
choros

Lætóſq; ducere? ARB. *Quia ſpes primũ omnibus*
Salutis eſt data ab Heſtere. CHO. *vndenã?* AR.
ſcies:
Regina primum vt precibus & lacrymis deum
Facilem ſibi precata ſcalloris ſui
Luctúſque ſordes exuit, tum regia
Ornata veſte, gemma & auro ſplenduit:
Sic ingreditur: erat roſeus ori color
Grato, & nitente ſyderis oculo tegens
Pauentis animi corde conſtricto metus,
Retróq; laxi veſtium latè ſinus
Qui diffluebant altera ancilla efferens
Manibus, odores efferebat Indicos,
Et quæ ſiniſtro iuncta lateri erat altera
Ferebat innixam ſuis humeris quaſi
Artus fluentes molliter, ferret minus.
Erat aureo ſublimis in ſolio ſedens
Rex *Aſſuerus purpura atq; auro micans,*
Sceptro ſuperbus regio, aſpectu minax,
Quem propius vt ſtetiſſet vxor, protinus
Sanguineus ora regia inuaſit rubor,
Oculiſq; flamma totus ardens canduit.
Tales vt illa eſt intuita vultus, ſtatim
Virginea gelidus oſſa percurrit timor,
Sanguiſq; ſeſe corda ad intima recipit,
Pauore conſternata, corpore corruit.
CH. *Quid rex?* ARBO. *Vbi regina ſic coram ca-*
dit,

Feſtinus

Feſtinus ille & frigido albeſcens metu,
Throno exilit, mediámque complexus leuat
His blandiens ſermonibus vbi ad ſe redit:
Quis te mea Heſter, aut timor habet, aut dolor?
Frater ego ſum tuus, quid eſt quod horreas?
An quam iugales vinciere mihi faces,
Quam forma nitida, quam pudor ſociam thori,
Fidéſque firmo colligauit vinculo,
Hanc nos ſuperbis alligamus legibus?
His, his, (ſuperba dicitur lex, quos metus
Terrórque, quam pudor, aut fides tenet magis.
CHOR. *Miram tyranni mihi refers clemẽtiam,*
Quam non niſi clemens deus ſpirauerit.
ARB. *Hæc fatus illi ſceptra regia obtulit,*
Collóque candido auream virgam implicans
Deoſculatur molliter, dúmque hanc rogat
Quid ſic paueret, vix adhuc metu ſatis
Soluta, dixit: Si domine, mihi tuis
Eſt gratia in oculis, fides mea ſi placet,
Si gratus eſt tibi pudor, officium & meum,
Dignare menſam coniugis tuæ hoc die
Ornare: ſit præſens Aman comes tibi.
Rex, hoc, per aureum vagi ſolis iubar,
Suúmque per ſolium annuit, per quod nefas
Iurare Perſis quod minus perſolueris.
Nunc dum ferinæ pinguis, & Bachi meri
Seſe intus implent, Mardocheo hæc nuntio,
Vt hunc remittat, qui nimius angit metus.

CHO. Mollem pampineo comam corymbo
Cingens, ô Semeles, Iouiſq; proles,
Huc aduerte fauens caput decorum,
Vultu ſydereo repelle triſtes
E cœlo nebulas, tuiſq; donis
Spira qui referat Iouis liquorem.
Et tu flaua Ceres manu potenti
Quæ regi placeant repone fruges,
Hebem quæ teneræ eſt decus iuuentæ,
Quæ cœlo ſuperis dijs miniſtrat
Iuno, emitte tuam: tuos amores
Troianum puerum, potens olympi
Rex concede, manu vt ſua coronet
Regi pocula, quæ miniſtrat vxor.
Eſt Heſter puero tuo, & puella
Hebe digna, Ioues ſuos ſuáſq;
Iunones habet hic micans olympus.

AMAN, SENEX.

HEm! quò redit hominis arrogans veſania?
Quò pertinacia? Mardocheus ſe gerat,
Ita impotenter, tam feros habeat animos,
Vt nec decus nec numen agnoſcat meum?
Quà porrigit gemmifera perſis brachia,
Hàc proferuntur nominis fines mei.
Quid? principes ſceptro timendi regio,
Quod gratia magis magiſq; anctum volunt?

An

An iſtud eſt paruum quod excipiens virum,
Regémq; me regina heri epulo exceperit?
Primos dari accubitus mihi præceperit?
Ecce redeunti non mihi tamen arrogans
Iudæus, aſſurrexit, & flexit genu.
Has ſentiat ſceleſtus vltrices manus.
Tot ſuppetunt opes, ea eſt mea gratia,
Aman puſillo iniuriam feret animo?
Age ira vires experire iam tuas,
Parate vos famuli, parate, ſine mora
Quantā iubeo, quantam volo miſero crucem.
Non conquieſcam quin ſublatum videro.
SENEX. *Quod tu ſcelus furore ſæuo cogitas?*
Tentare conſilio prius quàm vi decet
Omnia. AM. *Iugalis ſuadet hoc conſors thori,*
Suadent amici. SEN. *Diſſuādet æquitas.*
Rei timendus diſſuādet exitus.
AM. *Nullo queunt minui meæ res turbine,*
Nullo Iouis rumpi tonantis fulmine.
SENE. *Quicunq; fidit nimis, & addit credulū*
Rebus ſecundis animum, apud ſe id cogitet
Fortuna multos blandius nunc ſubleuat
Mox ſæuiens eoſdem in imum deprimit.
AM. *Ludis operam, eſt immota ſic ſententia:*
Nunquam cibum captauero ſuperſtite
Homine, interim conuenio regem, vt impetrem.

ATHACH, AMAN.

NAe tota aberrat vulgus hoc hominum via,
Omnēs beatos cùm putant, ſi qui imperent:
Nam conditor mundi deus, regnum ſimul
Odiúmq; iunxit, quem timent multi, hunc quoq;
Multos timere conuenit: fœlicitas
Quænam recepto firma conſtabit metu?
O nobilem diadema pannum ſed grauem,
Quem ſi quis introſpexerit, periculis
Tantis refertum, cogitationibus
Tantis videbit, vt iacentem tollere
Non ſuſtineat: hoſtilis impetus modò,
Defectio modò timetur imminens, modò
Admixti veneni potio, verùm quibus
Sors contigit nec ampla, nec etiam infima
Beatiores iudico: quid hic ordine
Recenſeam reges eos laboribus
Qui ſe fatigant? Aſſuerus vnus eſt
Rex Perſicus, qui peruigil noctes agit,
Iam Sol ſorori ceßit & bigis ſuis
Inuecta Phœbe ſupplet abſentem diem,
Somnóſque ſuadent decidentia ſydera,
Dum mollius tamen ſuas ſomno omnia,
Et bruta ponunt, & nemora moleſtias:
Dùm conquieſcunt flumina, & rapidi noti
Flatus prementes ſe ſuis antris tenent,
En vnus, vnus, quem beatum duxeris,

Rex

Rex Aſſuerus imperans tot gentibus,
Curis ſuis minus imperat: vel hanc miſer
Traduxit ipſe noctem, vt omnem perlegit
Rerum ſuarum hiſtoriam; ex quo Perſico
Populo imperat: legens eum incidit in locum
Qui denotaret qua via & modo foret
Illis quæ ab eunuchis parabantur ſibi
Ereptus inſidijs: ſuam vt intelligit
Se Mardocheo vitam & imperij decus
Debere, qui totum reuelaſſet ſcelus.
Dum nullo ob hanc rem præmio auctum percipit,
Iubet vt Amanem ad ſe euocem, credo, vt virum
Hoc de negotio roget: At eſt præſto Aman.
In tempore aduenis princeps, rex te euocat.
AMAN. *Rectè id quidem, namq; hoc datum eſt vni mihi*
Vt grata ſint regi meo à me vno omnia,
Sine me nihil rectè putet ſibi conſuli.
ATH. *Certe, dum ego iſtius hominis ſuperbiam*
Atq; inſolentem cogito arrogantiam
Nimis ſuperbis diſplicet mihi moribus:
Cui nil niſi quod fecerit gratum eſt, nihil
Niſi quod ipſe ſenſerit: faſtu tumens
Cum rege par nomen ſibi & decus arrogat,
Et me niſi mea opinio fallit malè
Quod mardocheo fabricat, cedet ſcelus,

Quod rex deûm ſummus velit: Sed quid pauens
Triſtiſque tam cito ædibus Aman exilit?

AMAN.

Lubet infauſtos fundere queſtus,
Lubet & multo murice tinctas
Frangere veſtes, lugere lubet:
Mittit luctus ſigna futuri
Mens mea, damni præſaga ſui:
Inſtat capiti fera tempeſtas.
Proh ſumme deûm rector, mihi ſpem
Sic modò lapſam retro ferri,
Illius vt ſim factus honoris
Præco, miſero cui iuſſa mihi
Qua iam penderet crux fuerat?
Ingreſſum primum, Rex poſcit,
Quid ei quem Rex tentat honore
Auctum celebri reddere, faciat:
Dictum, infælix à me arripiens,
Vecors & ſtultus, ſic ſtatuo:
Purpura amictus regis primùm,
Regia geſtans manibus ſceptra,
Alto inuectus ſublimis equo,
Vrbis platea incedat media:
Tum regali primus in aula
Spumantis equi frena retorquens
Clamet, Talis honos manet

Quem

Quem, Rex, cunque volet coli.
Vix conſilia malè ſanus ipſe abſolueram,
Hoſti meo me cùm iubet in his obſequi:
Hem, quò rapior? quò ſpes tandem?
Quò conſilium? quò conatus?
Ergo ego præco dicar honoris
Illius, cui crux ante fuit
Inſtructa mihi? quid? feret id Aman?
Ferre neceſſe eſt: quod Rex iuſsit,
Non eſt cuiquam temnere tutum.

CHORVS, AMAN.

QVæ fama frequens Suſis volitat,
Poſito luctu, lacrymíſque ſuis,
Poſito vilis tegmine ſacci
Qui Mardocheus ſorde ſcallebat modò,
Tyrio totum murice tingi,
Sceptrúmque ſua geſtare manu,
Vt qui contra ſæuierit Aman,
Pedes, illius nomina cantet?

Ficti quamuis, prauíque tenax
Sit fama, tamen circum volitans
Conſtánſque ſibi, nuntia veri eſt:
Vt nunquam atra fertur nebula
Flumine ſurgens fumus piceo
Quin ſit oborti nuntius ignis,

Nunquam medio ſparſus populo
Aures hominum rumor penetrat,
Quin ſecum aliquid veri adportet.

Non ſera ſemper ponto inſano
Incubat horrens imbre,& ventis
Tempeſtas:nunc ſydera cœli
Fluctus tangunt,nunc cœruleis
Inuectus equis Triton,placidus
Altùm inflatas deprimit vndas:
Non ſors ſemper iuſtos agitans
Triſti dextra flebilis vrget.

O hè,vicimus,ohè,vicimus.
Nuntia veri reddita fama eſt:
Inuectus equo,murice fulgens,
Prodit noſtræ gloria gentis,
Prodit noſtræ vita ſalutis.
Ohè,vicimus,Ohè,vicimus,
Ohè. AMAN. *Talis honos manet*
Quem,Rex,cunque volet coli.

CHO. *Ponito luctus*
Natio Iudæ:
Ponito vilis
Tegmina ſacci:
Ponito planctus,
Ablue ſordes,

Lux tibi parta eſt.
Spargito flores,
Spargito plena
Lilia dextra:
Stèrne virenti
Gramine terram:
Sternito veſtem
Qua ſua vectus
Corpora profert.
Hîc tibi partæ
Cauſa ſalutis.
Ohè, vicimus, Ohè, vicimus,
Ohè. AMAN. *Talis honos manet*
Quem, Rex, cunque volet coli.

CHO. *Hymnum ſummo efferte tonanti:*
Fortem cythara dicite dextram,
Quæ quouis exoluit damno,
Quos cultu eſſe ſuos cognouit.

ACTVS QVINTVS.

HESTER, ATHACH, PRIMA ANCILLA, SECVNDA ANCILLA.

QVid ſic ſtupes Athach? noui quid? nuntias?
Effare & iſtud pande quodcũque eſt malũ.
ATH. *Vix ſtat animus meus, & metu corpus riget,*

Vt hæret in vultu trucis imago crucis.
HES. *Quæ crux, age, animos grauius incertos tenes:*
Quid ſit quod horres, quódque factum eſt, expedi.
ATHA. *Vt primũ Amanis ingredi domũ iubes,*
Pranſurum vt illum rege cum tuo euocem:
Poſita mora, vt ſerui eſt boni, illhuc euolo:
Ingreſſus atrium ſuperbi principis,
Dum quid velim quódque imperas renuntio,
Ditémque ſignis aureis miror domum,
Cælata pario marmore anni tempora,
Veterúmque Regum Perſicorum imagines,
Dum cuncta perluſtro ſtupentibus oculis,
Vt multa diues in ſpatia fertur domus,
Arcana in imo latebra ſeceſſu patet,
Quam rarus intrat ſolis ardentis nitor:
Huc vbi meum temerè vt fit infero pedem,
Aſpicio magni ponderis longam, abditam,
Tectámque linteis receptis machinam:
Accedo, timida detego velum manu:
Ecce horror artus trepidus inuaſit meos,
Non aliter ac qui improuida tetigit manu
Ignes calentes, reprimit & manum & pedem,
Horrens repreſſi: viſa crux ingens mihi,
Horrenda, dura, immanis, & vaſta, & ferox,
Cui deligatus plurimus circum foret
Funis, mináxque ſanguinis gladius comes,
Crux alta centum plus pedibus, amplo in loco

Vix ſtabat. HEST. *Et cui crux parata iſthæc fuit*
Aut cuius adeo graue ſcelus tantam crucem
Támque apparatã meruit? ATH. *Vt cruce ſtupeo,*
Aduenit vnus ex amicis intimis:
Cuius ſit, interrogo: timore perditus,
Vocem remittens, rem mihi omnem detegit,
Vt Mardochei *non ferens ſuperbiam,*
Quò vindicaret non flexum ſibi genu,
Vnam hanc ferendo deuoueret corpori,
Hunc eſſe ſacrum victimæ illius diem.
HEST. *O perditum, & cæcum hominis odium! ô ſæuiens*
Oblita barbaries ſui! cauſam ob leuem
Imo adeo nullam barbarum pectus trahi
Tanto furore, pectore abſtruſo faces
Iræ receptas vt minus reſtinxerit?
Tantámne noſtri ſanguinis natam ſitim,
Vt non eam niſi morte noſtra expleuerit?
Et Mardocheus *in cruce altus pendeat,*
Aman honore conſpicuus hic gaudeat?
Vir innocens, hoſtilibus minus cadat,
Nocens, ſuperbus, impius homo floreat?
Hoc hoc ſuo capiti ſuerit hoſtis malum:
Dignus cadat ſua manu ferus artifex:
Decidat in illam, quam meis foueam parat.
Hoc qui ſuperbos reprimis viros deus,
Qui conſilia ſcelerata ſolus diſſipas,
Permitte, quod tuam redeat in gloriam,

Recidat paratum authoris in caput malum.
Sed eſtne is intus? ATH. *Sola Regi es in mora:*
Solam opperitur, perge, properato eſt opus.
HEST. *Propero, ſed, O vos, ne qua deſit gratia*
Cernite puellæ num ſatis veſtis mihi
Appoſita pendeat, color ſatis mihi
Et integer vultus: ferocis principis
Faſtidientíſque omnia, animum offendere
Perquam eſt facilè. PRIM. ANC. *Non ſi, deus qui Cypria:*
In venere quod reprehenderet habuit, velit
Naſo ſuo vel calculo ſuſpendere,
Non habeat in te quod remordens arguat.
SECVN. ANC. *Non ſi æthere à ſummo deæ tres euolent,*
Quas Ida *Paride vidit olim iudice*
Formæ ſubire iudicia, vincant, ſuam
Formam decúſque ſi tuo tres conferant.
Quid non placeat hæc cuius ori gratiam
Summúmque ſplendorem deus ſpirauerit?
HEST. *Ergo moretur ne quid hîc* Rex *Perſicus,*
Properemus, omnis effero atque barbaro
Odioſa cuiuis ſemper eſt Regi *mora.*

ASSVERVS, HESTER, AMAN.

ECquid, mea Heſter, aduenio, gratus tibi?
Iam me ſecundus hic apud te habet dies:
Iam

Iam me ſecunda menſa apud te hic excipit.
Ecquid meum in te animum & amorem nunc probas?
HESTER. Quàm læta quondam cærulo emergens freto
Thetis, ſupremum dum Iouem & ſuperos deos
Coniuncta Peleo ſuo mẽſa excipit,
Tam læta, mi Rex, eſt tua ancilla, vt Iouem
Hic te alterum excipit, & honoris iſtius
Quo me tuam dignaris, habeo gratiam.
ASS. Accede mea, manum ablue, propius & mihi
Accumbe: placet hodie epulari lautius:
AMAN. Ah, quàm vereor, hi ne mihi magno cibi
Epulæq; conſtent, ita gelidus artus timor
Inuadit, & membra omnia tremore vlcerat:
Celabo tamen hunc qui grauat mentem metum,
Ne conſcium malè, proditus timor arguat.
ASS. O fida thalami ſocia ſiccine excipis
Deſiderati coniugis vultum? tacens
Quid expaueſcis? quid cibo poſito abſtines?
Quid nulla libas pocula, & animum mihi
Reſtituis? HEST. Eheu per tui ſceptrum imperi,
Rex magnanime per & patris manes tui,
Per prima noſtri fœdera thori, per tuum
In me fauorem, ne iube tibi detegem
Qui me grauius opinione angit dolor.
ASS. Tã ſancta magnũ verba neſcio quid tegũt,
Eloquere apertè, quis metus habet aut dolor:

Per illa quæ dixti mihi chariſſima
Per ſi quid eſſe charius poteſt mihi,
Iuro tibi, Heſter,*quod petieris auferes,*
Non ſi mihi regni media pars excidat,
Promiſſa tibi fruſtrabitur ſemel fides,
HEST. Ergo *placere ſi meum officium poteſt,*
Si vita,mi Rex,*liceat hic mihi & meis*
Securo apud te degere in vitæ loco.
ASSV. *Quid quæſo ? vel quorſum hoc?an hæc cui ſit thorus*
Idem iugalis,quæ imperi in partem venit,
Securo apud me non agat loco? furor
Quis nunc te habet, vel quid mala obiectum eſt manu?
HESTER. *An quæ petitur,cuius iugulum*
Impius enſis iamiam referet,
Cuius teneram fixa per aluum
Cuſpis medias coſtas dirimat
Tuta putatur?
An qui populus proximus antro
Factus auerni iamiam capiti
Strictos gladios ſpectat, & ictum
Sæui expectat pallidus hoſtis,
Qui ſic degit preſſus pedibus,
Vt iam iaceat,calcatúſque
pereat,quem ſic hoſtis cogit
Tutus habetur?
Quam tu thalamo dignare tuo,

Quam regali exornas ſolio,
Ex qua ſuauem ſperas ſobolem,
Heu tua coniux, quæror vt enſe
Mactata cadam.
Hebræus mihi charus populus,
Hebreæ tibi partæ vxori,
Simplex, patiens, facilis, multo
Miſer, ô facinus! quò iuguletur
Venditur auro.
Atque hoc vtinam rabies hoſtis
Contenta eſſet, ſæuúſque furor,
Vt nos famulæ penſa trahentes
Vili addictæ eſſemus pretio,
Seruus populus ferret acerbum
Duri domini, immitiſque iugum:
Nobis vilia penſa, meóque
Eſſent populo vilia iuſſis
Vincla cathenis.
Sæuit in altum regis ſolium
Manus hoſtilis, ſanguine quæ non
Populi inſontis contenta, cupit
Tollere Perſis ſceptra & faſces,
Et te Hebrææ iunctum vxori
Perdere Regem.
ASS. *Ecquiſnam is eſt, qui illhuc furoris venerit*
Vt iſta viuo rege me facere audeat?
HEST. *Impius ille eſt, impius vnus*
Noſtri ſitiens ſanguinis hoſtis

Euerſor Regalis ſolij,
Crudelis Aman.
A S S. *Tollite menſas*
Tollite ſerui
Ira dolore
Victa recenti,
Non capit huius
Ora tyranni.

AMAN, HESTER.

IN quem, ſuperi, caſum rapior
Afflictus Aman?
Heu quis nubem detrahet illam,
Quæ iam miſero impendens capiti
Fata minatur?
Lacrymis agendum eſt, & precibus: his his mea
Redimi ſalus tantùm poteſt, Stat & cadit
His vita mea: iam diſce, Aman, deponere
Faſtus ſuperbos, diſce verba minacia
Mutare precibus. Prima ſupplicem vides:
Hæ te precantur genibus admotæ manus,
Ponatur, Heſter, ira & ex animo dolor
Eraſus abeat. HESTER. *Cuius ira alius fuit*
Metuenda, is æquum eſt alterius in ſe manus
Quid poſſit iráque & poteſtas ſentiat.
AMAN. *Horrore quatior verba quò cedant timens,*

Trepidúmque dubio pectus euentu labat.

HESTER. *Dum tu ſuperba lege morti addiceres,*
Et me, & mihi charum genus, trepidum metu
Pectus lababat, par metus rependitur.

AMAN. *At non is animus tunc mihi fuit, vt tuam*
Hac lege vitam includerem, nec dum genus
Cognoueram tuum, error hoc crimen dedit.

HESTE. *Cauere debuiſti, vt errori locus*
Non eſſet. AMAN. *huius quicquid eſt me pœnitet.*

HEST. *Plerumque ſceleris ſera pœnitentia eſt,*
Ne pœniteret poſt, cauere oportuit.

AMAN. *Ego te per illud dignitatis Regiæ*
Sublime nomen, per patris cineres tui,
Per liberorum ſpem, & tibi charum genus,
Per illius quem tu colis numen dei,
Obſecro, parce: ſi minus miſeret mei,
Meúmque apud te me nimis premit ſcelus,
Saltem miſereat te ſenis patris, mea
Coniux moueat, & liberi moueant mei.
Proſit miſero nato genitor:
Proſit miſero ſponſa marito:
Proſint patri miſero nati.

HEST. *Parcere poſſim huic qui mihi vitam*
Stricto voluit tollere ferro,
Populúmque meum perdere, dominum

Fraus in proprium, pœnáque recidat.

AMAN. O *non mulier, ſed dura ſilex,*
Siccine nullis duci lacrymis,
Cui molle magis natura parens
Pectus dederit?
Obruor, heu, heu,
Nube doloris:
Victa tremiſcunt
Pectora luctu:
Membra panore
Preſſa labaſcunt.

ASSVERVS, AMAN,
ATHACH.

VNde iſta prodit generis immanis lues?
An Colchus illũ Phaſis, an Taurus *Scythes*
Aluit, mei vt factus beneficij immemor
Vacuam velit ſanguine meo facere domum?
Homo ſceleſtus conſutis mihi dolis
Tantam calamitatem mihi parare voluerit,
Vt barbarus Macedo *meam mihi coniugem*
Sancta fide ſociam, probatam moribus
Non tolleret tantùm, at manu miſeram mea
Vellet peremptam, dum minus cautus meos
Gazis ementi venderem miſer thoros?

Quid non tonas? Quid non cruenta fulmina,
Cœlo-

Cæleſti ab arce iacis ſator hominum & deûm?
Luminibus æquis iſta reſpicis? etiam thori
Vt impudens eſt, opprimere ſociam cupit,
Præſente nec me animum impudicum continet.
Mactere mihi ſcelerate & impie, hac manu
Audax & impium nefas in me expia.
Præſente me etiam coniugem meam ſcelus?
AMAN. *Ah parce, parce, non ſcelus, at iſtud dolor*
Dolor, pauórque facit. ASSV. *Et audet impudens*
Negare quod oculis meis vidi? luem,
Peſtémque tantam hanc abripite ſerui mihi:
Vos iam profundo tartaro inuiſum caput
Mergite. ATHACH. *Placet crux Mardocheo quam domi*
Iuſsit parari? ASSVE. *Perplacet, In hac pendeat:*
Suam ſibi ille ſtruxerit ſcelus domum.
AMAN. *O funereus multis Regum*
Durúſque fauor, qui cùm vento
Carbaſa pleno ratis impleuit
Vexítque diu, protinus idem
Surgens acrior æquora flatu
Turbans nimio, fluctibus altis
Naues obruit.
Qui mihi Regis fauor afflauit,
Reflans, capiti factus furor eſt.
Et me multò deprimit acrius,
Quàm me quondam fouit blandius.
Iam tu patria chara, ſenéxque

Genitor noſtro infælix caſu,
Iam chara mihi coniux, nati
Pignora quondam chara valete.
Quæq; ſuperbo fulgent ſolio,
In delitias ſomnóſque meos
Quæſita prius tecta, valete.
Valeant tinctæ murice veſtes,
Valeat fuluo lucidus auro
Qui mea circum colla petitus
Torquis quondam: dura futura eſt
Crux mihi tectum, vincula torques.
Nunc iam pluuio corpus ab auſtro,
Nunc iam calido ſolis ab æſtu
Vile peribit.
Nunc aëriæ noſtra volucres
Rodent vnco viſcera roſtro:
Hæc digna meis funera factis
Vincite manus: miſero collo
Funereos innectite nodos:
Rapite ad mortem, queis ius in me
Fortuna dedit, viuere durum eſt.

FINIS.

CATHARINA, TRAGOEDIA,

PERSONAE.

PORPHIRIVS, MILITIAE PRAEFECTVS,

CATHARINA,

REGINA VXOR MAXENTII,

MAXENTIVS CAESAR,

PRAEFECTVS,

NVNTIVS,

CHORVS CHRISTIANARVM VIRGINVM.

PORPHIRIVS.

O Lucis almæ rector, ô mundi decus,
Qui ſparſa cœlo ſydera, & curſus vagos
Aſtrorum agis, & ipſos polos celeri rotas
Verſaſque cardine, vt modò recurrens hyems
Denudet altum frondibus ſuis nemus,
Modò aura ſolis mitiori lumine
Iamiam innouatis veſtiat ſiluas comis:
Quid tam repente rebus immutans vices
Præcingis inſolitis polum noſtrum ignibus?
Phœbus ne media nocte cœlum deſerens,
Inuoluet atra quæ patent caligine,
Nocti receptus quò ſuus redeat color?
Seſe profundo lucidum abdens carcere,
Perrumpet altum triplici muro ſolum,
Idem tenebris candidum reddet diem?
An ſol geminus eſt, vnus in cœlo micans,
Alter ſubacto ſe recondens in ſolo?
Ignoſce, Phœbe: Phœbus hic alter tibi
Si frater ardet ſplendidum magis iubar
Effundit illo quo medius ardes polo.
An oculus hebes eſt vana mentitus mihi,
Et noctis amens exagitor inſomniis?
An error vrget & premit lymphaticus?

Hic nullus error, nulla ſunt inſomnia:
Loquor vigil, vigil video, paueo videns.
Ignoſce rerum ſumme cunctarum arbiter
Parenſque, vultus ſi quid illicitum mei
Videre: vidi non fruenda ſenſibus
Mortalis vllius, nitentem vultibus
Cœtum decoris, cuius aſpectus fuit
Coruſcus inſtar emicantis fulguris,
Et qui fluebant veſtium latè ſinus
Nitore vincebant ſuo niuem. Quis hoc
Crediderit vnquam? ſauciæ illum virgini
Vidi adminiſtrum liuidámque verbere
Carnem profuſo diffluentem ſanguine
Mirè nitenti reficientem linteo:
Miraturadſtans, & ſtupet Maxentij
Admiſſa coniux, virginémque amplectitur,
Suppléxque ſacros illius cadit ad pedes.
Virgo coacta, per Chaos *magnum canit*
Semina liquentis campi, & aëris, ſoli,
Igníſque: vt illis primus orbis creuerit:
Canit creatum de luto primum patrem,
Vetitæq; guſtatum arboris fructum, canit
Sine labe natam de parente virginem,
Quæ infuſa ſacro ſpiritu, nobis polo
Demiſſum ab alto, ſine viro peperit deum,
Cruore qui ſuo patris primi ſcelus,
Inſons deúſque infami in arbore lueret,
Vt nos perenni ſcelere deuinctos neci

Mactatus, omnes morte dira ſolueret.
Dum Coſtis iſta, & pleraque memorat alia,
Narrantis illa pendet ex ore, & bibit,
Auida aure ſummi verba nuncia numinis.
Fatetur, ardet, iam ſacra cupit ablui
Aqua, paríque cum puella viuere
Fide, relictis Pallade, & Phœbo, & Ioue.
Circum ſuaue cælicus chorus melos
Reddit, ſuóque carcerem implet carmine.
Hoc credam? an auris erit hebes, vt oculus mihi?
Non fallor, aures verus ingreditur ſonus:
Vox vera qualem non homo quiſquam ſonet,
Iam perditorum monſtra diſcedant deûm,
Eſt verus vnus quem colit Coſtis deus.
Nòn illa magicis ſe tuetur fraudibus,
Chriſto ſed vno, huius leuata numine
In ſe euocatos vna deuicit ſophos
Quos poſt ſupremo per rogum iunxit deo.
Quid quod minacem non pauet Maxentium,
Et nuda multis lacera, carnem ſcorpiis
Dum virgineus operit ſolum fluens cruor
Quæ non ſatelles ipſe, virgo ſuſtinet?
Non mirer atro quod coacta carcere
Bis ſex diebus integris paſſa eſt famem?
Non huic miniſtras ego cibi credam alites,
Partémque vitæ quem ſibi cepit deum?
Ceſſo ergo monſtra deſerere gentilium,
Et pro tenebris lumen æternum ſequi?

CATHARINA, REGINA,
Porphirius.

EXere iamiam regina caput,
Sceptróque nouo clara ſuperbi
Tituliſque nouis:te diadema
Iam nobilius multò exornat,
Quàm cæſareo partum thalamo.
Ille caduco regno vt præficit
Et terris citò caſuris, viam
Inferni tibi pandit auerni,
Cœli ſacras occludens fores.
Iam ſorte noua ſe tibi Chriſtus
Iungit ſponſum pro Maxentio,
Immortalis pro mortali,
Mitis pro immiti ſuccedit,
Qui te ſtigio tollat ab orco,
Atque hinc ſuperis inſerat oris.
Qui Mercurios, Phœbóſque ſibi
Structis amens ponit in aris.
Præſit vt illis quæ cæruleis
Oceanus latè ambit brachiis,
Regi tamen vt ſeruit ſtigio
Seruit Sathanæ, regis titulos
Abiicit: at qui ſeruit domino
Quem terra colit, manéſque tremunt,
Et quem ſuperum turba veretur,
Regnat Regno fœlix ſplendido.
Lætare nouo regia coniux

Coniuge,regno lætare nouo,
Lætare noua digna corona,
Quam ſponſus tibi Chriſtus præparat,
Quam iam fuſo tinges ſanguine.
REGI. O *mea nullis æquanda bonis*
Fortuna tibi debita, Coſti,
Debita ſummo quem profers deo,
Fœlix nox tenebris capiens ſuis,
Qua nox depulſa eſt animo meo,
Qua vera mihi reddita lux eſt,
Iuſtitiæ ſol qui nunquam occidit.
Fœlix carcer qui me carcere-
Et vinclis Sathanæ aſtrictam explicat,
Perdita qui me monſtra ſequutam,
Falſóſque deos,dedocet vti,
Et canit vnum quem ſecter deum.
Qui ſeruam prius atro demoni,
Reginam facit,& Chriſto aſſerit:
At longè nobis fœlicior
Illa futura eſt lux qua ſanguine
Effuſo illam tingam lauream
Quæ me ſuperis inſerat aſtris.
Regia nil me ſceptra morantur.
Nil magnifici Regum tituli,
Nil Sidonio murice tincta
Veſtis:qui animo cælica ponit
Sectanda ſuo cætera calcat.
Proponat mihi vir Maxentius

Vincu-

Vincula,fuſtes,verbera,ſcorpios,
Gladios,ignes,& quicquid habet
Horrendum tellus,quicquid minax
Arte Perillus crudeli docet.
Nullo verbere,nullis vinculis,
Nullo gladio,nullis flammis,
Chriſti abduxerit ex animo fidem.
Fœlix mihi crux cuncta futura eſt
His quæ miſeram ſoluerit oris
Vt poſt ſupero perfruar axe.
POR. *Ergo poterit regia coniux*
Admiſſa meo munere,Chriſtum
Nouiſſe deum,poterit falſo
Cæcum errore animum exoluiſſe,
Poterit molli fœmina ſexu
Temnere diri verba tyranni?
Poterit gladios contra immotam
Dare ceruicem nullóque necis
Propoſitæ ſibi terreri metu,
Hic tibi quo lux vera recepta eſt,
Semper denſis aget in tenebris
Animum cæca nocte ſepultus?
Cui molle nimis natura dedit
Pectus Lacheſis fila pauebit?
Eſt hic,eſt animus lucis mihi
Contemptor:bene qui vita putet
Eum emi quò tu tendis honorem.
En tua ſupplex venio ad genua.

Proſtratus, quæſo exipe, Coſti,
Iam periturum & tolle iacentem:
Me tibi ſocians aſſere Chriſto.
CAT. *Generoſe miles cernis iam verbum dei*
Eam vim habere vt ſit magis penetrabile
Gladio ancipite dum cordis intima diuidit?
Fœlix futurus qui hoſtium vt pulſat tuum
Non durus aperuſ iam deus ſcuto ſuæ
Te fidei obumbrabit, ſuis iam te induens
Armis, minaces in ſecures muniet
Iam tu ſub ipſo rege Chriſto militans
Plutonis arma caſtráque impia deſeres:
Iam iam triumphans téque pro tuis vouens,
Cades, cadénſque deſideratam tibi
Cruore fuſo retuleris victoriam.
POR. *O, ô beatum me futurum militem,*
Si me imperator ſic deus vult vincere.
REG. *Age ergò viſat quos habes ſocios tibi,*
Omnes vt illa tibi pari ſociet fide.

CHORVS VIRGINVM
Chriſtianarum.

THebani poſitor maximus oppidi
Amphion cythara qui reſonans ſua
Auritos lapides, ſaxa ſequentia
Et cautes habuit: Quantus is æquora
Qui mulcens fidibus, compoſuit deos

Inſani

Inſani oceani, monſtráque piſcium
Dum ſedat, melius quàm rate perfida
Delphino vehitur ſuo?
Quantus Threicia qui ſonat vt lyra
Mirantes habuit carminis arbores,
Saltantéſque vagis agminibus feras?
Quantus Tartareum dum penetrans locum
Cum Plutone ſuas Eumenides mouet,
Et quicquid triplici gutture cerberus
Latratu horribili tartara perſonans
Vaſto carcere continet?
Vis miranda noui carminis hæc fuit,
Sed quæ ſaxa, feras, & nemora in viros
Mutans, tartareo retrahit è lacu.
Depreſſam Euridicem, quam ſuperis locis
Sic demum reuehat, præcipitem vt canis
Non rurſus ſtigius mergat ad infima
Longe fortior eſt, quæq; ſuo nihil
Viuax numine non trahat.
Eſt Coſtis generis ſanguine præpotens,
Et fama celebri: voce potentior
Sed longè reliquis & ſapientia
Famam nobilitat ſuam.
Hæc perfuſa Iouis numine cælici,
Et veri, potuit cerbereos canes
Eductos ſtigiis è tenebris, fide
Vero reddere lumini.
Miramur ne igitur, ſi potuit ſophos,
Reginámque ſibi & militiæ ducem

Adiunctis ſociis vincere? numine
Quid non ducta dei facit?

MAXENTIVS, PRAEFECTVS.

ECQVIS repente de ſtigis ſpecu furor
Emiſſus, atrum ſedibus ſuperis caput
Infert, & errans noxium virus vomit,
Quale olim ab imo tractus orco cerberus,
Manibus auitis non ferens ſolis iubar
Clarum, trifauci reddidit de gutture?
An monſtra rurſus terra grauida parturit
Vltura natorum ſuorum ſanguinem?
Ecce ecce paßim pullulat genus hominum
Fallax, ſuperbum, garrulum, ſtolidum, arrogans,
Quod neſcio quem dum ſibi fingit deum,
Nugatur amens; & ſua canit ſomnia.
Infamis audet ſub crucis titulo, ſua
De ſede ſummum velle deiicere Iouem,
Sed iam inſolentem reprimam ſuperbiam,
Nouiſque monſtris liberum dabo ſolum.
Faxo quietus in ſuo cœlo regens
Saturnius, nihil opus habeat fulmine,
Satis erit vnus pro Ioue hic Maxentius:
Satis iſta pœnas ad repoſcendas manus:
Ergo vna coſtis, luſtra vix tria ſuperans,
Puella tenera, mollis, imbellis, Iouem

Audax ſupremo ab axe deturbauerit,
Aríſque noſtris inſolentem inuexerit?
Virgo vna doctos tot ſophos deuicerit,
Victos ſtupentes ad fidem morte egerit?
His cedet aris Pallas, & natus Ioue
Apollo lumen orbis, & nato pater
Addetur exul & comes, quò indebitam
Neſcio quis aram Chriſtus atque arcem occupet?
PR. *Reges putandi filij magni Iouis,*
Quos ſic in orbe ſummus agere vult pater
Vt iura dantes ſuppleant eius vices:
Cùm tu ergo illius in loco ſedens regas,
Sceptro ſuperbus regio, manu potens
Aequum vt ſeueris legibus coerceas
Quicquid potentes in deos nouum hoc genus
Molitur audax & luem hanc tetram eluas.
MAX. *Vinctum ergo ſtrictè vos tenete carceris*
Cuſtodem, vt illi verberum vis exprimat
Arcana mentis, & latens verum dolor.
Ediſcat amens quid iuuet Maxentium
Sic in puella ſubleuata ludere.

CATHARINA, MAXENTIVS, PRAEFECTVS.

Q*Vid innocentem ſic premi vinclis iubes?*
Quid immerentẽ verbera ad dura euocas?
Non hic (quod ipſe reris) humanus cibo
Leuauit oppreſſam. MAX. *Quid hæc mihi ſomnia*
Monſtroſa profers? tu integros bis ſex dies

Concluſa carcere, ſine dapibus vixeris,
Ieiunáque animam in corpore hoc ſeruaueris?
Fraus iſta nimia eſt, & quæ in authoris caput
Magno ſuo redeat malo. CA. *Nullus dolus,*
Fraus nulla parte hac: falleris diuinitus
Ni credis iſtud quicquid eſt factum: ſuos
Nunquam relinquit ille quem colo deus.
Ecquid puellam non ſuo paſcat cibo
Qui quinque panibus tribúſque piſcibus
Se ſubſequentem multitudinem aluerit?
Non poſſet vnam paſcere is, qui mammona
Iſraelitas pauit errantes? ſuo
Cibum prophetæ per miniſtras alites
Suggeſſit olim dum feras inter latens
Fugeret furorem perſequentis Ieſabel?
Non hic adulter Mars tuus, vulcani's
Qui vinculis ſeſe expedire non queat:
Non hic Apollo qui ſuas temerè faces
Nato imperito deferat ad incendium
Terræ políque, non pauens hic Iuppiter
Cœli trementem ſede deturbans patrem,
Sed ille cuius ſub manu Pluto tremit,
Neptunus horret, Iuppiter tuus pauet,
Qui clara iuſſit, eſſe Olympi ſydera,
Aquas fluentes, pondere & mediam ſuo
Terram librari, & diſiici circum aëra.
Cur tu ergo me eius ſubleuatam numine
Mirare? quin tu inſanus améńſque abiicis

Tot monſtra, & vnum quem ſequor deum colis?
Agnoſce tandem quem penes vita & ſalus,
Qui tam recenti me ſouens miraculo,
Plagáſque curans ad ſuam lucem euocat.
MAX. Inſana pergis ſemper in nos obloqui?
Tuúmque Chriſtum voce vana tollere?
Iam, faxo, ponas verba, faſtúmque exuas
Viſáſque quam tu prædicas lucem mihi.
Vos hanc furentem abripite ſerui, & carcere
Cæco tenete dum crucem dignam hac paro.
Iam iam illa mentis impiæ pœnas luat,
Diſcátque noſtro de Ioue modeſtè loqui.
PR. Extrema morbis grauibus eſt curatio
Adhibenda, magnum vt non queas incendium
Niſi multa aqua reſtinguere, ſcelus ſic graue
Audaciámque non niſi pœna graui
Reprimere poſsis, ſerpit hoc iam latius
Quàm par ſit audax facinus, & vires capit,
Excogitandum eſt ſupplicii nouum genus.
Excogitanda crux noua eſt, & mors grauis,
Et morte ſi quid eſſe poſsit acerbius,
Vt ſit ſceleſta quod videns turba horreat.
Catharina demens hoc ſuum imprimis ſcelus
Spretumq; Martẽ, & Pallada, & Iouem expiet.
MAX. Age, reuocetur quicquid olim barbarus
Sæuúſque Phalaris exprimere potuit: noua
Ad fata nil non audiens exhorreat.

PRAE. Perillus in me,credo,iam reuixerit,
Nouúmque mortis Græcia genus viderit.

CHORVS.

ECquis æſtiuo facit vt leoni
Feruor innatus cererem miniſtret
Decoquens?ecquis pluuiis ſub Hœdis
Quis ſub arcturo pereunte,terris
Subditis nimbos parit?& procellis
Turbidum reddens mare,nauigantem
Terret,& vanis trepidum columnum
Ludit ariſtis?

Quis polis vires,animámque terræ
Fundit,vt rebus ſua quæque cunctis
Inſita ad motus alimenta cedant?
Quis diem nocti reuehit ,vicéſque
Temporum admittens variis olympum
Ignibus cingit nitidíſque pingit
Lucidum ſtellis,Triuiæ reducens
Cornua lunæ?

Non is eſt vanis numeris pœtæ
Quem ſibi ſtulti numerant,ſuíſque
Sedibus ponunt reſonante plectro
Iuppiter : ſed qui chaos hoc coegit,
Et parens rerum potuit parente

Virgine

Virgine enaſci, morienſque mortem
Vincere, & claro reſerare nobis
Aſtra triumpho.

Ille lux vera eſt, cibus ille verus
Ille doctrina eſt, vbicunque perſtat,
Error excedit, tenebræ faméſque
Dira fugantur.

Hic regit paſſus, animúmque firmat,
Imbuit ſenſus reficítque corpus
Lautius multo meliúſque, quàm qui
Regia ponit.

Cedat extructis malè cultus aris
Iuppiter, quo ſunt tenebræ faméſque,
Ille quo Coſtis regitur, recentes
Sumat odores.

ACTVS TERTIVS

Nuntius, Chorus.

QVIS *per ignotas æris tollet vias*
Turbo, nigraq; nube cõuoluet caput
Vt tollat oculis quod necis vidi genus?
Quis me in remotam deferet ventus ſpecum
Vt aure facinus tam nouum non hauriam?

CHO. *Quid iſtud, oro? quid noui iam nuncias?*
Quid refugit auris, quid oculi exhorrent tui?
NVN. *O dira facta, barbara, horrida, aſpera!*
Ecquis tyrannos non putet ſiculos locis
Terríſque noſtris redditos? An qui viros
Lentos per ignes æreo incluſos boue
Viuos coquebat redditus Maxentio eſt?
An is reuixit qui receptos hoſpites
Equis vouebat, atq; eorum ſanguine
Paſcebat? an qui quos recepiſſet thoro
Aequabat omnes? horret animus & pauet,
Vt inſolentis mortis occurrit genus.
CHO. *Quid quæſo? non iam Coſtis occidens, ſuo*
Beata caſtam reddidit animam deo?
NVN. *Imo illa viuit, & triumphali pede*
Calcat ſuperbi regis iratum caput.
CHO. *Hunc tu triumphũ virginis mihi expedi,*
Nouúmq; quod rex pertulit victus iugum.
NVN. *Vt vidit ille nil pauentem virginem,*
Et Martis aras, & Iouis contemnere,
Quod morte multo grauius eſſet cogitat:
Iubet parari ferreis ſerris rotas
Quatuor, acuti quas circum claui vndiq;
Magni eminerent, hócq; deuolui modo,
Ex his vt vno voluerentur ordine
Duæ deorſum, at alteræ aduerſo impetu
Surſum rotatæ fulminus more ruerent,
Contrarijs circum vt ferentibus orbibus

Diuelleretur tenera virginis caro.
CHO. *Nouum ac inauditum necis narras genus.*
Quid tum puella? non ad illud horruit?
NVN. *Mirantur omnes & rotis poſitis ſtupent*
Tremúntq; virgo ſola curuato genu
Procumbit & oculos in altum dirigens,
Rerum parentem his eſt precata vocibus:
O cui ſuperbæ ſubiacent regum minæ,
Cui ſceptra parent, qui tuo nutu impetus
In te virorum diſsipas, quod in tui
Laudem redundet nominis, fac machina hæc
Diſiecta coram, doceat irrita omnia
Quæ moliuntur in tuos omnes viri.
Vix dum puella Coſtis ora clauſerat
Cùm ſubito magnus è polo intonuit fragor,
Mixtóque tonitru cœlitus vis irruens
Magnam rotarum diſijcit molem, ſimul
Bis millia duo percutit gentilium.
Illæſa virgo tollit in cœlum manus,
Chriſtúmque laudat: Qui ſuperſtites pauent
Tremúntque tam magno rei miraculo,
Tacitíque verum virginis dicunt deum.
CHOR. *Mihi mira narras.* NVN. *Mira iam magis audies:*
Regina quæ ſe huc vſq; non detexerat,
Chriſtum profeſſa tunc viro ſe prodidit:
Nam ſpecula ab alta ex qua ſui Maxentij

Norat furorem, & virginis conſtantiam
Deſcendit ardens, & virum voce increpat.
Quid (inquit) iſti tam feræ crucis paras
Tormenta demens, quæ ſui Chriſti cruce
Munita nullam exhorreat crucem? vides
Non iam in ſtupendo machinæ miraculo,
Verum eſſe ſolum quem canit virgo deum?
Quin iam his moueris, teq; tartaro explicans
Reddis beatum tam beato lumini?
CHO. *Expecto cætera, quid ibi Maxentius?*
NVN. *Sanguineus ora regia inuaſit rubor,*
Et iam inſolentem coniugem non perferens
Vt ter quaterq; regio ſceptro ſuum
Tetigit tribunal, queſtus vxoris ſcelus,
Vt thura ponat dijs ſuis ſupplex, iubet.
Quod cùm recuſat, iam furore percitus
Ferro tenaci rex reuulſis imperat
Mammis, ſecuri percuti: hæc nil territa,
Nil expaueſcens ore ſecuro excipit
Mortem imperatam ſeq; Coſtide ſuſtinens
Quæ regna longè clariora oſtenderet,
Poſito capite mactata Chriſto concidit.
CHOR. *Stupet animus mihi tam nouo iſthoc nuntio.*
NVNT. *Nil iſtud eſt, reſtat quod audias magis*
Nouum recénſq;. CHOR. *Hoc expeto.* NVN. *Porphirius*
Clam rege reginæ cadauer ſurripit

Vrnæq;

Vrnaq́; mandat rex dolens factum, inſcios
Et innocentes vt premit, Porphirius
Accurrit audens, & fatetur ſe dei
Chriſtiq; famulam quam pari ſociam fide
Haberet, inſepulta ne foret, manu
Tumulo dediſſe: rex ſuperbùm rugiens
Dirúmq́; frendens, facta contra iſta intonat
Iubetq́; morte ſcelus & animam ponere:
Illi ducenti gloriæ ſe milites
Crucíque iungunt, dum parem aſſerunt fidem,
Terrámq; cæſi ſanguine effuſo imbuunt.

CHORVS.

Quid fera fruſtra bella mouetis?
Impia quid iam tenditis arma
Hunc contra, O viri, qui voce ſua
Nutúq;, manum diſsipat omnem?
Tanquam vas figuli confringere
Poterit quicquid contra ſtruitis,
Nunquid Pharao dum perſequitur
Huius tantum numine fultos
Diuiſas vidit excedentibus
AEquoris vndas?

Numine cuius fauce leonum
Fuit ereptus quondam Daniel?
Et quis triduo ceti incluſum

Aluo, ſaluum luci reddidit?
Quis tres pueros medios inter
Ignes ardentis fornacis
Illæſos magno miraculo
Et ſaluos voluit? non is deus
Robore cuius ſe Catharina
Noſtra tuetur?

An qui potuit ſoluere flammas,
Potuit miti fauce leones,
Reddere, magnos ducere cetos,
Non imperio nutuq; ſuo
Potuit fracta mole rotarum
Diſiectis gladijs, atq; orbibus
Soluere duro mortis genere
Regia ſacræ membra puellæ?
Vanum eſt quicquid ſuperum contra
Tentatur deum.

Cedite ſceptro tumidi regio
Reges, magni cedite principes,
Omnia regno ſub graniori
Regna recumbunt.

Quæcumque trahunt ſtamina parcæ
Chriſto tantum rectore trahunt,
Illius vna dextra, mortis
Voluitur vrna.

Animam

Animam ponens regia Coſtis
Cùm volet atris occidet vmbris,
Suáque euoluent cùm volet idem
Perſa ſorores.

ACTVS QVARTVS.
MAXENTIVS, PRAEFECTVS.

VBi iam Apollo lucis huius arbiter,
Pharetra decorus aurea, atque arcu minax?
Vbi cruenta Mars timendus caſſide?
Vbi Minerua eſt ægide inſigni potens?
Vbi triſulco fulmine minax Iuppiter?
Vbi dij ſuarum iniuriarum vindices?
Iacent inertes ſeq́; ſola in virgine
Suúmq; nomen negligi prorſus ſinunt:
Sinunt honorem tot ſibi iam ſeculis
Per nos receptum fraude tanta præripi?
Ergo vna potuit diſſipatis in rotis
Superſtes eſſe dum tot occiderent viri?
Potuit iugali lege coniunctam mihi
Fato fidéq; præripere? Porphirium
Errore tali & fraude magica eludere?
An protinus etiam vt moretur Iuppiter

Ceſſétq; patiens,perferet Maxentius
Tantam ruinam nomini ſuperum inuehi?
PRAEFE. *Tentanda nobis eſt in hanc omnis via,*
Qua victa tandem concidat,qua pertinax
Ponat animum:ſunt quos minaci verbere
Non frangere queas,quos prece & pecunia
Blandíſque verbis pertrahas:ſit hic modus
Iam corrigendæ virginis,nulla cruce
Quæ permouetur,hoc modo mentem exuat.

MAXENTIVS, CATHARINA.

TV *iam iam adeſto,Coſti,verbáq; accipe*
Quæ rex puellæ regiæ fundit:mei
Nunc iuris vt ſit & imperi Porphirium,
Cæſámq; coniugem,& ſophos tua vnius
Punire morte,damnáq; merita manu
Expiare,buſtum coniugis buſto tuo
Placare, ſanguine ſanguinem vt rependero,
Animum tamen noſtrum mouent anni integri,
Formæ venuſtas,regiæ ſtirpis genus,
Doctrina,mores:agito iam pone hunc deum,
Vanámq; quam tu prædicas nobis crucem:
Agnoſce numen Palladis,leſum Iouem
Phœbúmq; thuris honore placato manum
Vt dexteram iungens mihi,ſocia thori
Fias iugalis,regiáq; in curia

Regina mecum ſorte procedas pari:
Hic te, receptum ſi abnuis Chriſtum,manet
Honos ſuperbus,hæc manet fœlicitas.
CATH. *Quid mihi vanos regum titulos,*
Quid diadema obtrudis Regium?
Quidue iugales thalami tedas,
Et mihi regnum iactas inſolens?
Vincula quam non vlla,nec vllus
Flectere quondam carcer potuit,
Nulla rotarum pœna minacium:
Flectent blandi munera regis?
Mea connubia & thalamos Cæſar
Vanis diſſoluet connubijs?
Tam mihi grata eſt matris imago
Virginis,eius natíq;,alium
Vt mihi nolim quærere ſponſum.
Virgine natus virgine ſponſa
Gaudet,& alto deſpectans polo
Nobiliores ſternit thalamos.
Mox periturum proponis thorum,
Sceptrúmq; mihi morte caducum,
Ille mihi connubia æterna,
Regnúmq; ſua ponit in arce,
Nec perituram ſorte coronam.
Deſine demens animo caſto
Iactare tui nomina ſceptri,
Faſtúſq; tuos ac hymeneos:
Quæ mihi Chriſto ſponſo ſemel eſt

Non ludetur premiſſa fides.

MAXE. *Et copulari pertinax mihi negas?*
Nihilíque Chriſto præ tuo Maxentium
Inſana ducis! ſceptra ſpernens Cæſaris
Elata ſemper enomis verba? hanc luem,
Iam tollite mihi, iam ſuperbos ſpiritus
Tollat, ſecuri pertinax virgo cadat,
Viſátque ſponſum: procidat humi victima
His quos ſceleſto ore impudens lacerat deos.

CAT. *Quid mihi fruſtra fata minaris?*
His mihi ſi tu neſcis, his mihi
Pro morte breui vita paratur:
Ducite iam iam, ducite, mortis
Properata hora, hæc vita eſt potior.

CHORVS.

SVnt quos dolore nullo,
Nullo minacis enſis
Frangas pauore, nullis
Rotis mouere poſſis,
Nulla regere cicuta,
Quibus ſemel voluptas
Si propoſita ſit eſca,
Facéſque blandiores
Libidinis fluentis
Permoueris repente,

Libido

Libido blanda, Circe
Eſt blanda, dum miniſtrat
Mellita pocula, vt poſt
Latentibus venenis
Conuertat in ferarum
Diuerſa membra: teſtis
Qui penſa traxit olim
Sub Omphale, puellæ
Superatus igne, nulli
Vicêre quem labores.

Qui moly ſeſe, Vliſſes
Tanquam parata contra
Venena cautus armat
Syrenεóſque cantus
Contemnit aure ſurda,
Non poculi veneno
Non cantibus mouetur,
Inſana regna vitans
Domino furente ſeſe
Explicat honeſta curans.

Coſtis dolore nullo,
Nulliſque fracta vinclis
Cur non amore regni
Animos ſuperba ponit?

Cur non thoros iugales,

Et ſceptra cum corona
Admittit,& periclo
Necis imminente ſoluit.

Munitur illa Chriſto
Potentius,quàm Vliſſes:
Hoc freta,regna temnit,
Maxentijq; tedas.

ACTVS QVINTVS.
NVNTIVS, CHORVS.

LVbet hanc animam effundere,lucem
Nimis inuiſam abrumpere, lubet &
Corporis atro carcere ſolui,
Vt me ſuperis addens regnis
Socius caſti fiam cœtus,
Inſolita videam iam vt purpura
Regia coniux ſupremo in polo
Ornata,ſuam deſpicit aulam.
Superíque chori plauſum mirer,
Virgine in vna quæ Maxentio
Victo,inſigni eſt clara triumpho.
Quid iuuat iſta in luce morari,
Lux vbi Græci tota imperij
Prærepta meras linquit tenebras?

Occidit omnis lux, vt nobis
Regia virgo Coſtis cecidit.
CHO. *Expone ſeriem cædis, ô homo, & genus*
Proſequere mortis: nam meus cupit animus
Audire ſummam virginis victoriam.
NVN. *Vt illa primùm Cæſaris ſententia*
Addicta morti eſt, vt capite trunca occidens
Tandem furorem regis expleret ſuo
Sanguine, paratam veluti haberet lauream
Exultat ardens gaudióque ſubſilit:
Hanc mox ſatelles apprehendit regius,
Pœnæq; ducit ad locum: diſpergitur
Totam per vrbem rumor: hinc atq; hinc vagi,
Curſúq; anheli confluunt viri: ſtupet
Pars vna: ſperat altera, vt miraculo
Nouo retundat enſis impetum, & rotis
Quæ ſe redemit, hoc periculo eximat:
Pars magna vulgi tam graue exhorret ſcelus,
Odítq; mortem quam tyrannus imperat:
Pars imprecatur, terror attonitos monet.
Catharina verò, vt nil pauens prodit, ſuos
Vultus pudore terram in imam deycit:
Nec mortis horror inficit formæ decus,
Sed emicantes vultibus ſplendent genæ,
Magíſq; ſolito fulget extremus decor,
Vt eſſe ſolis lenius ſolet iubar
Iamiam ruentis aſtra cùm repetunt vices,
Premitúrq; dubius nocte proxima dies.

Hos mollit ætas, hos mouet clarum genus
Mouet alios fortis animus leto obuius.
Miſerantur, & mirantur: vt locum attigit
Audax puella animámq; Chriſto credidit,
Non præ timore necis tulit retro gradum:
Parata ad ictum leniter flexit caput,
Tam fortis animus pectora omnium ferit,
Nouúmque monſtrum, lictor ad cædem piger:
Vt dextra gladium penitus exacta abdidit,
Nullus recepta morte manauit cruor,
Sed pro cruore, fontis inſtar candidum
Lac albicantem reddidit humum protinus.
Mirantur omnes, & magis in hanc rem ſtupent,
Pauent, gemúntque, cædis author ingemit,
Confeſſus illud quod manu admiſit ſcelus.
CHOR. *Ecquid inhumatũ virginis corpus fuit?*
Et inſepultum paſſus eſt rex abiici?
NVN. *Non defuiſſent qui noua re conciti*
Parùm timentes regis irati minas,
Vrnæ dediſſent ſed prophana noluit
Tam ſancta membra pollui Chriſtus manu.
Vt trunca iacuit, ecce ſubito nubibus,
Denſáque nocte vterque polus inhorruit.
Eripitur oculis cum die cælum, intonat
Magnum diúque, terra tota contremit,
Vox hæc repente cælitus miſſa excidit:
Veni iam amica, ſponſáque mea, lauream
Habitura dignam pro tua victoria.

Pro regis opibus & thoro, meum accipe.
Hæc inter ingens cœlicæ turbæ melos
Cantúſque viſus excipi, at cùm redditus
Suus diei color, & exeruit iubar
Apollo clarum lampade irradians noua,
Vt rediit animus obſtupentibus viris,
Mentémque melior ſubijt aliquando fides,
Melióрque Chriſtus, virginis quod queritur,
Nuſquam videtur corpus. at per aëra
Auráſque tenues euolans euanuit.
CHO. O ter ſtupenda gentibus miracula!
Quin dura tandem emolliuntur pectora?
Carmen puræ mecum virgines,
Carmen dicite ſupremo deo,
Victrici date carmen virgini.
CHOR. Prima præito carmina noſtra,
Prompto officio voce ſequemur.

CHORVS.

AN non in rapidis ignibus Herculem
Purgato referunt corpore, ſidera
Ad ſuprema ſibi poſt cinerum rogos
Affectaſſe viam? & cum ſupero Ioue
Elegiſſe locum, quo caput inſerens
Terras deſpiceret, quæ ſtudio ſuo
Iam monſtris vacuæ, depoſito metu
Securum exererent caput?

Quando in Cæſaream ſacrilegæ manus
Ceruicem ruerent, & gladÿs ſacrum
Corpus confoderent, non venerem ferunt
Pro ceruice ſui Cæſaris anxiam
Cæleſtes precibus ſollicitis polos
Commouiſſe? loco corporis additam
Vmbram in quam ruerent, & nitidi poli
Inter ſydera redditum?

Audax compoſitis Græcia fabulis,
Quod mentita ſuo dixit in Hercule,
Et quod Roma ſui in ſydere Cæſaris
Eſt commenta, licet verius in ſacra
Non falſis oculis cernere virgine:
Chriſto fulta, viam luminis ad domum
Fuſo ſanguine repperit.

Sint fletus igitur, ſint lacrymæ procul
Hinc nobis noua ne numina polluant;
Non deflenda viris, cui dederit fides
Ipſos ad ſuperos iter.

Non deflenda viris quæ ſibi lauream
Victricem peperit quæ tenebras nouis
Mutans luminibus, virgineo nitens
Virgo ſe ſociat choro.

Non deflenda viris, quæ precibus deum

Exorat facilem, quin potius decus
Ad Chriſti canimus, gloria virgini
Quæ veram aſſeruit fidem.

FINIS.

VINEARIA.

PERSONAE

APRINVS, VITISATOR.
VVLPINVS, FALCVLVS,
BOTRIVS.

NOs vlti, Vulpine, ſum malè facta ſuperbi
Iniuſtíque nimis domini, quo iudice, merces
Aequata eſt nobis per quos tolerata diei
Pondera ſunt, magni quos exuſſere calores,
Aequata eſt illis merces, quos veſpere cœlum
Componente, vnam labor haud exercuit horam.
VVLPI. *Aut iuſtas nobis pœnas cum ſanguine ſoluit*
Ignauos trutina & gnauos qui expendit eadem

Aut non virtuti locus eſt quæ præmia ſoluit
Officijs diſtincta ſuis, paruúmque laborem
Munere compenſat paruo, mercedéque magnum
Ingenti, ſic quiſque ſuum ſibi ſumit, & omnes
Collaudant dominũ, murmúrq; & cauſa querelæ
Tollitur: at contra ſi fit præpoſtera cernas
Omnia: ſi nobis æquum ſe forte dediſſet
Iſtius pater, & nullo ſibi vulnere ſeruos
Affectos ſeruaſſet adhuc, natúmque teneret
Incolumem, & meritis ferremus præmia noſtris
Digna, ſibi ille etiam nobis frueretur amicis
Quos irritatos odijs capitalibus hoſtes
Se contrà ſentit. A P R I. *Noſtros concedat in vſus*
Vinea, quando hæres patri ſublatus iniquo
Qui petere hanc potuit ſilet æternúmq; ſilebit.
V V L. *Non fiet noſtri niſi debita vinea iuris*
Vinea quæ corpus ſemper ſemperq; fatigans
Ingenti cura feſtiſque alijſq; diebus
Sollicitos animos partes verſauit in omnes.
A P R I. *Emimus hanc magno: lapidũ quid theca duorum*
Argenti nobis non quondam exhauſit & auri?
Ipſe etiam ſæuus vituli conflatilis vltor
Qui vitem dedit hanc gladio tranſfixit acuto
Maiores noſtros, quod non reuerenter haberent
Ipſum vnum diuiſq; darent partem huius honoris,
Quem ſibi delatum ſoli ſic ipſe procurat,
Vt magis indoleat quiquam ſi perdat honoris

Ipſe

Ipſe ſui, quam vir ſua cuius adultera coniux
Promiſſámque fidem fallit lectúmque iugalem.
VVL. *Quis mala deſerti memoret? quis mille viarum*
Tædia? quis referat fratres in pace tyrannos?
Infeſtóſque duces, qui fana profanáque ſoli
Obtinuere, & eos generis quos gloria clari
Quærendam ad ſummi partem inflammabat honoris,
Correptus flamma, terra inuoluere cauernis?
AP. *Regificam ſumptus grauis, & labor extruit ædem*
Quam ruere eſt paſſus toties, totiéſq; refectam
Corporibus voluit noſtris, doníſque refertam.
Sacrorum ſtatuit ſpecies bis mille, veniri
Extructam manibus vacuis non paſſus ad ædem.
Quando feſta dies aderat, nos dona dabamus,
Si non feſta foret ſuggebat corpora vitis.
Ergo empta ingenti pretio nos vitis habeto
Hæc dominos, duro ſuccedat vita labori
Lætior, & vino curas pellamus edaces.
VVL. *Reſtituat ſuccos vinum, quos vinea nobis*
Abſtulit, oppletóſq; ſopor nos occupet altus.

VITISATOR.

PRoh diuúmq; hominũq; fidẽ, pietatis vbi nunc
Cultus? vbi pudor eſt? vbi ſunt promiſſa? manúſque
Quæ iuncta huic toties manui? iurata fefellit.

En quibus eſt noſtræ vitis data cura colendæ,
Non veriti audaces dura mactare bipenni
Quos volui authores operis ſocióſque laboris.
Inuidia ecce iacent, mediæ ſub palmite vitis
Sanguineam toto plangentes corpore terram
Ecce iacēt, proprióque ſacrant mihi ſanguine vitē,
Sanguine qui meritum tanta de cæde repoſcat
Supplicium. Quid quod miſſo gens improba nato
Quem metuiſſe vnum decuit, quem iure vereri,
Improba gens domini contempto numine patris
Mactatū mihi ſemianimem, extinctúmq; remiſit
Proſtratos reperit miſſos mihi filius vrna
In media ſeruos: mirantem & dira ſtupentem
Supplicia, atq; ſui terrentem nomine patris
Impia ſeruorum rabies inuaſit, & Ohe,
Callidus ad ſocios dixit Vulpinus, adeſte,
Filius hic domini eſt, nos hoc mactemus in agro,
Noſtra erit extincto hærede hæc poſſeſſio, noſtra
Vitis erit, noſtri læto hoc ſub palmite botri.
Cōſiliū improba gēs, gēs dira, & auara ſecuta eſt.
Conſtrinxere meum natum, ſtrictúmq; ſuperbis
Affecere modis miſeri triduóque iacentem
Liquerunt, certæ credentes funere mortis
Sublatum: At rediјt natus patrióq; reuixit
Firmior auxilio, qui fuſi ſanguinis olim
Suppliciū repetat. Quid ego hic tamē inde putarim
Securam vitem tanta ſub fraude relictam?
Ibo ego, & inuiſens operas operiſque labores

Damnatos

Damnatos ſacra ſceleratos vite repellam.
Vos, ô, vos pueri, mecum concedite & ædes
Linquite, linquite opes, fratrēq;, & vtrūq; parētē:
Pro pueris faciam dominos conſcendite vitem
Hanc hylares mecum, nil conſcendiſſe pigebit.
BOTR. *Incuruæ perſpecta tibi nos munera falcis*
Scimus, Vitiſator, ſequimur tua munera, vitem
Poſcimus, edoctos faciles promptóſque miniſtros
Reppereris, tua nos modò gratia fulciat. FAL. *In te*
Vno ſpes noſtra eſt, tu vera es vitis, at illos
Qui te circunſtant ſolo pro palmite dicas.
Quicquid mandaris nobis aſſumere tutum.
BOTR. *Callida te duce nil vulpes, metuēdus & ore*
Fulmineo ſilueſtris aper, pedibúſq; proteruis
Pampineas nunquam & ſacras tibi proteret vuas.
FAL. *Non etiā limax, non hircus non canis illam*
Immiſſus rodet, non ſol, non grando peruret,
Te duce non æſtu, pluuio non concidet imbre.
VITIS. *Ergo agite hoc firmi & conſtantes pecto-*
re, noſtro.
Vos ſemper lateri hærentes adſiſtite, vitis
Proxima, vos fructum à pecoris defendite morſu.
En rogo? quænā iſthæc hominū maleſana meorū
Improbitas? quæ cura fuit? quæ induſtria? vitis
En deſerta mea eſt incuſtoditáq;, cultor
Qui fuerat miſſus, vino ſomnóque ſepultus
Graminea toto diſtentus corpore in herba
Voluitur: en lautas epulas ſcyphus ante recenti

Impletus vino, en etiam tibi condita multo
Muſta cado, & crudis veſtigia turpia fruſtis:
Siccine miſſus erat vitem mihi cultor in iſtam
Vt cereri indulgens multæ, multóque lyeo
Non cœptum curaret opus? nil tradita merces
Permouit mentes? nil quæ promiſſa laboris
Præmia tot fuerant? pueri ſuccedite, & hic iam
Noſcite multarum veſtigia certa ferarum:
Cuius id eſt? FALC. *Cautæ video veſtigia vulpis.*
VITIS. Hoc *cuius?* BOT. *Spumantis apri, & ſil-*
ueſtris. VITI. At *iſtud?*
FALC. *Eſt canis immiſſi.* VITI. *Crebra hæc ve-*
ſtigia? BOT. *Capri.*
VITIS. *Vobis ſigna pedũ prima hæc nouiſſe, ſalutis*
Pars eſt prima meæ vitis: nam callida vulpes
Vt ſemel ĩmiſſa eſt, ſemel vt canis improbus, hircus
Vt ſemel eſt, & aper ſpumantis rictibus oris,
Vinea nõ alio magis hoc vno hoſte laborat.
Namq; illa vt pedibus rapidis ſic ore proteruo
Proteritur, miſeróq; cadens langueſcit ab ictu.
Sicut aper rabido cereris ſata diſijcit ore,
Sic ſata bis geniti diſturbat amœna lyei,
Corroſóque caper teneræ pro palmite vitis
Occumbit ſacram Bachi mactatus ad aram.
FA. *Nouimus hæc, & nota magis ſunt firmáq; nobis*
Dum tam prudenti ſermone & munere firmas.
VI. *Ecquid ego hic de vite querar, mihi quãdo la-*
Nil prætermiſſum, curæ nihil, optima tãdẽ (boru)

Vt fieret, grauidis & multis fertilis vuis?
Quid facere huic potui & nõ feci? ô vana laboris
Cura mei: primum expectabam vinea vt vuas
Ferret, pro tumidis ſola en labruſca racemis.
An mihi de tanto ſcindetur inutilis agro
Præda futura focis calidis? quin ſanguine nati
Chara mei viuat, ſeruorum cæde meorum
Magno empta, augeſcens pingui foueatur in agro
Interea vlciſcar ſeruorum facta malorum
Per quos inculta & nuda eſt mihi vinea: vos his,
Vos pueri ſeruis altum hunc abrumpite ſomnum.
BOT. *Surgite iã ſerui, ſatis eſt dormiſſe, ſatis iam*
Ceſſatum pro vite diu. FALC. *Vos ſurgite ſerui*
Plus ſatis ebibitũ eſt, dominũ cognoſcite veſtrum.
APR. *Ecquis is eſt gratum qui tãta voce ſoporem*
Abrumpit mihi? ego hunc ſi apprendero, tandem.
BOTR. *Surgite iã ſerui, ſatis eſt dormiſſe, ſatis iã*
Ceſſatũ pro vite diu. VVLP. *Quis tãtus ad aures*
Tãq; frequẽs noſtras ſonus exit. FAL. *Surgite ſerui*
Plus ſatis ebibitum eſt, dominũ cognoſcite veſtrum.
APR. *Vos importuna mihi iam pro voce luetis &c.*
Supplicium. VVL. *Oſtẽdam quàm tutum abrumpere ſomnum*
VITIS. *Et vos, ô ſcelera, o peſtes, vos tela paratis*
Vímque mihi infertis? domini præſentia veſtri
Non terret? quin me contra vos tenditis arma?
Ingrata, improba mens, ſeruorum ô dura malorum
Impietas, vitem hoc ſolitis mihi more, profundum

Carpentes multo in vino dapibúſque ſoporem
Sic viti ſepem iunxiſtis? ſi ſcrobe cultam
Curaſtis, vulpem ſic eieciſtis, aprúmque
Spumantẽ rabidúmque canem, caprúmque? tacetis?
Dicite vbi ſerui quos vobis miſimus. A P R. Horũ
Hîc nemo noſtrum quenquam conſpexit. V I T I. *& iſthæc*
Mentiri audetis? tepido quid tota cruore
Terra rubet? num vos modò mens malè conſcia damnat?
Dicite vbi natus meus eſt. V V L P. *Neſcimus.* V I T I. *At illum*
Quis mihi ſeminecem nunc primũ in tecta remiſit,
Quem vos extinctum veſtra improbitate putaſtis?
A P R. *Neſciimus natum eſſe tuum.* V I T I. *Neſciſſe pigebit.*
Vos hunc neſciſtis quem vobis ſigna probarunt
Tam manifeſta? illum vt neſciſtis, neſciet ille
Vos aliquando: mali vos hinc diſcedite ſerui,
Vos quorum impietas ſeruos natúmque peremit,
Cùm vellet propriæ vitis decerpere fructum,
Cùm ſic colligeret ſobolem per deuia veſtram
Colligit vt pullos trepidas gallina ſub alas:
Vos me conati proprio depellere fundo,
Vos per quos toties læſa eſt patientia noſtra,
Vos quos nulla vnquam monit clementia, nulli
Mouerunt monitus, mouerunt præmia nulla,
Nulláque commouit pœnæ formido futuræ,

Vos qui me inuitum tantam accendiſtis ad iram,
Iam noſtras ſentite manus,iam reddite vitem,
Inſtrumenta quibus colitur mea vinea iam iam
Reddite,& his exite locis: vos vnus habebam
Et mitis ſeruos dominus: vos multus habebit
Subiectos ſibi,quando adeo vos eſtis abuſi
His epulis,vinóque dabam quod largiter olim.
APR. *Obſecro,quid facimus? cauſámne tuemur?*
VVLP. *Iniqua eſt.*
APR. *Quid ſi vim facimus? nam qui vi expellere tentat,*
Si vi pellatur temerarius æqua ſubibit.
VVLP. *Fortior eſt nobis,multóque potẽtior vnus.*
APR. *Quæremus latebras? procul an fugiemus?*
VVL. *In vna*
Spéſque ſalúſq; fuga eſt,& in atris vita cauernis.
APR. *O patria,ô vites,quas barbarus hoſpes habebit.*
O flauæ ſegetes,ô grãdia muſta valete.
VVL. *Lac abeat cũ melle, abeat iam pinguis oliui*
Copia,caſeolíque,crocíque,& thuris odores.
Balſamáque, & myrrha , & vulgus quod carpit Amomum.
Omnia perdidimus domini inclementis ob iram.
AP. *Viximus in* Babylone *alias,ſeruiuimus olim,*
Reddita libertas tandem eſt, verum ille minatur
Perpetuum ſeruile iugum,qui ſede paterna
Nos fugat,& cogit peregrinas quærere terras.
VIT. *Accipite hãc vitẽ,atq; malis ſuccedite ſeruis*

Vos quorum melior ſedit ſententia menti,
Et fore me veſtri memorem ſperate laboris.
Nam pœnas luet iniuſtus, iuſtóque dabuntur
Præmia: ſi indigenas propria tellure fugaui
Vt vos externos, externa in vite locarem
Vos etiam hinc pellam ſi me fraudatis honore.
Quin etiam illorum quos nunc errare videtis
Adiungam vobis aliquot poſt ſecula natos.
BOT. *Mercedem ingentem nobis pœnáſq; paratas*
Aſpicimus, ſeu cura tibi vel noſtra placebit,
Vel non grata ſatis fuerit: fac ergo ſciamus
Quæ tibi ſit vitis ratio bene grata colendæ.
VITI. *Accipite, hæc libris tota eſt cõprẽſa duobus:*
Hic, qua ſunt veteres vſi ratione docebit,
At nouus iſte, noua vos muniet arte colonos.
FALC. *Nos agri nati in mediis, nulláque politi*
Arte ſumus, totúſque labor nos vitis habebit
Intentos, ſic nulla libris erit hora legendis:
Et legere vt liceat: fruſtra nos ſcripta legemus
Quæ non agreſtis poſſit pertingere ſenſus.
VIT. *Vina dabo quæ pota mei ſub nomine nati*
Recludant ſenſus, horúmq; arcana librorum.
BOT. *Si nos ancipites male potos ſcrupus habebit,*
Nec bene ſumpta animũ tentabunt vina ſepultum
Ecquid opus facto? VIT. *Veniet chariſſima cõiux*
Quæ ſcrupos omnes tollat, clauſúmq; recludat
Quicquid erit. FALC. *Fulti hoc promiſſo & munere, vitem*

Accipi-

Accipimúſque,damúſque fidem,vigilémq; laborem
Spondemus. BOT. *Promiſſa fides ſoluetur, amore*
Si firmata tuo ſpem non ſibi cernit inanem.
Quantuſcunque labor fuerit,nos ſponte feremus,
Et ſterilem,dum noſtra tibi modo cura probetur,
Te quoque pro noſtris ſtudiis habeamus amicum.

In Fortunæ coniugium.

DVm vult quod proſit,dū quod delectet haberi
Scriptor,& effictο præſentia tēpora verſu
Ponere,multa ipſis committit geſtibus,& quæ
Senſu ipſo percepta magis quàm nomine,rerum
Naturam enodent: Sic ergo aduertite cuncti
Vt iam ſepoſito velati cortice verbi
Spectetis,breuis ipſa ſibi quod fabula poſcit.

FORTVNAE CONIVGIVM

PERSONAE.

VENVS,
PANVRGVS,
CVPIDO,
FAVOR,
FORTVNA,
THEODORVS,
OTIVM,
VIRTVS.
LVXVS.

VENVS.

QVid me blande puer, quid me mea nate voluptas,
Nate meæ vires, ſic amplexatus ab ore
Pendes, & miſeræ figis blanda oſcula matri?
Quid ſic demulcens in me tua tela tuóſque
Inſpiras ignes? neſcis temerarie, neſcis
Baſia & hos tactus flammato ardere veneno?
Non tamen interea matri tua vulnera parcis
Crudelis, nec viſa ſatis mea flamma facéſque
Quæ de me mea corda coquunt? quæ gloria, ſi tu
Me matrem, patrémque Iouem defigis, auóque
Non parcis, nec qui diffuſis regnat in vndis,
Quíque Acheronteis pallens dominatur in oris.
Re vana abſumptis volitans inglorius armis
Noſtros, vnde tibi maior laus, negligis hoſtes?
CVP. Parce parẽs, quæcũq; mihi eſt laſciuia, et ardor.
Quicũq; & leuitas te matre effingitur: ignẽ
Non ſopire datum mihi, qui te venit ab vna
Quæ medio orta ſalo gelidis in fluctibus ardes.
Verum age, dic mater, quæ tanta iniuria, quæ vis
Quæq; manus hoſtem nobis fecere? quis autem
Tantus erit qui non vltus mihi concidat hoſtis?
Effare, vlciſci quem me vis, ſi mihi Phœbus
In Daphne eſt vltus pueri dum ſpicula temnit,
Si pueri Aſcanij pro te puer ora recepi
Phœniſſam falſa ludens ſub imagine Dido-

Si parens tibi, me diuerſa in corpora verti,
An dubitas eadem quin mens, eadémque voluntas
In propugnando communi nomine ſurgat?
Hoc arcu, hoc telo, quem tu mihi dixeris hoſtem,
Sentiet vltricem percepto vulnere dextram.
VEN. *Saturnũ vt taceã tenebroſa in tartara miſ-*
Et pœnæ ætherea detruſum ſede parentẽ, (*ſum*
Et ſuperos ſtygio tandem vix amne receptos
Cum Ioue, dum preſſi fugerent, latebráſq; vocarẽt,
Me quid ego hic taceam? cui ſi non ſquamea piſcis
Forma recepta foret diuino ex ore, videbar
Hoſtiles non poſſe manus vitare ſequentum.
Necdum etiã cecidere animo quibus obrutus olim
Poſt bella atque ignes diuerſa per æquora vectus
Eſt meus AEneas: *necdum quod cuſpide vulnus*
Cepi vibrata Graij Diomedis *ab haſta*
Excidit: & noſtris Vulcania *vincula furtis*
Addita dum placidum caperẽ cum Marte *ſoporem,*
Nunc etiam defixa animo paulo altius hærent.
An non illa ſubit contemptæ iniuria, quando
Numine ſub noſtro nimium plebs credula, Pſiche
Diuinos poſitis templis adoleuit odores?
Dum tu furtiuo illius temerarius igne
Ardeſcens, alium vicinæ lampadis ignem
In niueos humeros impreſſo vulnere noſti?
Hoc, quodcunque mali eſt, quæcũque iniuria, nobis
Hanc fecit Fortuna, *minus ſi fecerit, vnum*
Hoc ſatis eſt grauiúſque, quod vt feciſſe fatetur,

Sic etiam paſsim nobis feciſſe ſuperbit:
Aſpice ſublimi qualis deuecta triumpho
Ore ſuperba, tumens, magnas prateruolat vrbes,
Et parua attollens ſublimia deprimit: ergo
Cur in eam ſibi quæ ſuperûm depoſcit honorem
Quæ nulla aſtringi teda, nullóque iugali
Se iactat thalamo non ducto ſpicula cornu
Intorquens viuo figis præcordia ferro?
CVP. *Quin agito, tuus eſt mater Citherea quod optas*
Id mandare labor, mandata capeſſere nati eſt.
VEN. *Ecce epulis vinóq; grauis procedit & hæret*
Illius lateri comes Otium, & improbus idem
Luxus, vt his graditur tantum ſtipata duobus
Aggredere ardentem luxu, & torpore fluentem
Opprime, vibrandis ſunt peruia pectora telis.
In me nulla mora eſt, quod vis facturus, abibo.

FORTVNA.

SEu tu ſecreto ſpectaueris aëra cælo,
Seu vaſti ſeſe fundentia brachia ponti,
Seu librata ſuo quod pondere terra recludit,
Seu quod in abſtruſo concludunt gurgite manes,
Id noſtra regitur dextra ſequitúrque ſuperbum
Numinis imperium, nunc hanc, nunc induit illam
Fortunæ faciem: quod ſi quæ priſca vetuſtas
Numina ſacrauit, longóque petiuit ab æuo
Numine contendant, & mecum tempore certent,

Siue

Siue Chaos rerum indigeſtam pondere molem,
Siue horrenda ſui Demogorgonis ora loquantur,
Vnde deûm longo numerantur nomina ductu,
Fortuna numen nullum eſt antiquius orbi,
Ecquis enim ſine me curſus? quæ tempora? rerum
Quæ facies vnquam viſa eſt? confuſa iacerent
Quod prius in cunctis cunctarum pondera rerum,
Quis niſi Fortunæ rectè contedat? at ex quo
Omnia concordi diſcordia ſemina pace
Iuncta fuere, meum numen mea ſancta poteſtas
Nota magis. Quicquid (quæ plurima & omnia
Eueniunt) fieret, cuius cauſa ipſa lateret (pene
Ignorata mihi ſemper tribuere. OTIVM. *Quis*
Non te ſuſpiciat, multis ſpectauerit annis (autem
Si tua firmari, reliquis quæ membra ſeneſcunt?
LVXVS. *Si tibi ſubiicias diuos, puerósque deorum*
Ecquis erit qui non tam ſanctum numen adoret?
FORT. *Me Cælũ exectus queritur, me filius eius*
Saturnus cœlo expulſus, me Iuppiter actus
Titanum manibus, ſtygio vix flumine tutus.
OTI. *Te quoq; Neptunus tumidarũ rector aquarũ*
Sorte, ſuo fratre inferior: te Pluto ſub vmbras
Pallentes miſſus loca nocte ſilentia, manes
Herculeis manibus queritur trepidaſſe, ſub auras
Tartareúmque canem ſuperas lucémque receptum.
FORT. *Vt taceam notum præſenti tẽpore nomen*
Dum modo quẽ videas veneranda in ſede ſenatum
Et leges ſanctas, & regia iura loquentem,

Poſt paulo pulſum ſolio mirere tacentem,
Dum modò victores aquilas, modò flamine verſo
Deuictis aquilis victricia lilia ſpectes,
Queis mea ſe demum promittunt numina, donec
Qui regit excreſcens diffuſum impleuerit orbem?
Quid taceam Aſsyrios primo ſub rege ſuperbos?
Quid poſt Arbacto victos, Medíſque receptum
Imperium? quiquid terrarum ſubiacet vſquam,
Victoris victíque vices per me capit: ergo
Irato noceo, placato numine proſum.
LVX. Hoc quõdã expertus clari de ſtirpe Cononis
Natus, dum ſtultus ridet tua numina, téque
Vrbibus exceptis ponentem rethia temnit,
Virtutiſque facit populóſque vrbéſque receptas
Non miſer irato pugnauit numine? victus
Et bello cecidit, ſemper qui vicerat ante?
FOR. Romulus auſpiciis victor, cui ſceptra Quirini
Imperũ debet? cui rex Numa? cui quoq; gẽte
Tarquinia veniens Priſcus? cui Seruius ortus
Sanguine Seruili? cui tot quoque regna, tot vrbes
Tot victos populos populus Romanus? & ille
Qui rebus magni menſuram nominis implet
Magnus Alexander, cui tot victricibus armis
Progreſsus? noſtra hæc tota eſt victoria, noſtrum
Hoc totum officium eſt, & ne mea numina temni
Quis putet, aſpiciat mihi, quot delubra vetuſtas,
Nomina quot dederit, quot thuris honore ſacrarit
Extru-

Extructas nobis renouatis ſumptibus aras.
Verum ergo vero ſapiens quod dixerit ore:
Non hominum vitam ſapientia,ſed dea tantùm
Omnipotens fortuna regit,cui nulla virorum
Corpora,nulla deûm non ſacra potentia cedat.
OTIVM. *Cui tranquilla magis res eſt, cui vita ſecundis*
Fortunis magis & cumulato diffluit auro
Illi me natura magis mea iungit,acerbæ
Me curæ caſúſque fugant,triſtíſque receptus
Aede dolor: tantùm ſublimia & inclyta rerum
Culmina quæq; ſequor,totum me indulgeo magnis
Delitiis. Ergo *ſi te dominámque deámque*
Fœlicis ſortis colo,ſi veſtigia ſector,
Si comes aſsiduus tibi ſum,ſi ſeruio,quiſnam
Arguat?an rerum dominæ parere moleſtum eſt?
LVXVS. *Par mihi natura eſt, vita non diſcolor vſus.*
Luxus ego in cunis eductus mollibus,omnes
Ardens delitias,& in his prouectus opima,
Quæ ſunt ſola ſequor: vilis caſa ruſtica,vilis
Illa domus dura quæ paupertate laborat.
Me magnis natum genitrix opulentia rebus
Sectari quoque magna facit,mea mater honoris
Quicquid habet, quicquid ſucceſſus,hoc tibi totum
Si fert acceptum,tibi quid fortuna negabit
Filius? ergo tuis ago luxus iure ſub alis.
EORTV. *Me cæcam quicunque ferunt, quia*

lumine captam
Eſſe putant, errant, acies mea cernit acutum.
Cæca tamen dicor cæcos quia reddo potenti
Quos complexa manu demulceo, non ſecus atque
Natus Acidaliæ temerarius ille puérque
Vanum errãs miſſa dum captat arundine nomen.
CVP. *Iam validam vt pueri noſcas temeraria dextram*
Quæ non fruſtrato temeraria torqueat ictu
Spicula, ſecretum recipe in præcordia vulnus.
FORT. *Quæ noua proh ſuperi immiſſi mihi cauſa veneni*
Intima corrodens miſerè per viſcera ſerpit?
Quis calor abſumit præcordia? quis nouus ardor
Concoquit, & lento penetralia deuorat igne?
Non magis AEthneo *calidis fornacibus ignes*
Monte calent, quàm qui læſo ſub pectore viuunt.
Iam noſco infœlix, noſco, quis credere poſſit?
Vror amore, nouum fixum eſt in corpore vulnus.
Quóque meus grauior dolor eſt, amo, nõ amo, nam quid
Iſtud amare voces quod non cognoris? amore
Ardeo, nec quid amem, nec quem ſcio: pectoris æſtus
Fertur in incertum: crudelius ecquis amauit
O ſuperi? En quónam ſuprema potentia? quóue
Exceſſere ſuum iactantia verba triumphum?
Ergo quæ ſuperos reliquos in iura coëgi
Cuncta potens Fortuna, vno mollíque leuíque
A pue-

A puero ſuperata cadam? quæ inſania tandem?
Quæ rotulæ inſiſto leuitas vt ſola notetur,
Et natura viris nullis addicta, iugales
Sic hominis certi tedas amplectar, vt vni
Iuncta, oblita mei conſtans ſim? ſiccine flammæ
Tanta iſtius erit vis vt mihi me auferat? O me
Iam nullam ſi ſic puero parere neceſſe eſt.
Eſſe neceſſe tamen quis non intelligit, illo
Si minus aſſumi volo qui me deuorat igne?
Hunc mihi Fortunæ Luxus concede laborem,
Fac ſermo clarus triuiis hic exeat, vt qui
Fortunæ teda iunctus volet eſſe iugali
Aduolet huc: quiſquis ſtudio vitáque placebit,
Huic ſe coniugio propriam Fortuna dicabit.

LVX. *Officij patiar tibi ego nil deforе & huc iam*
Innumeros tua qui poſcant connubia ſiſtam.

PANVR. *Ecquis erit tandem curæ modus? ec quis acerbis*
Finis erit rebus? duro quæ meta labori?
Non magis in varias vertit ſua corpora formas
Incertus Protheus, quàm me quondam ipſe, parãdis
Inſudans opibus, qui memet in omnia verti.
Quãtuncunq; tamẽ quæſitum eſt nil mihi rerum
Eſſe puto vſque adeo nihil eſt niſi cuncta redũdent.

THEODOR. *Quæ Cleanthei memoratur fama laboris*

Dum rerum arcanos ſenſus ſcrutatur, & altas
Inquirit cauſas ſtudio dum totus inherens
Virtutis ſectatur iter, talis mea quondam
Rebus in abſtruſis ſtudiis quoque cura, ſepultus
In me omnis luxus, ſomnúque iocíque voluptas.
Interdicta mihi Cereris Bachíque poteſtas.
Cùm mihi multa meos macies obduxerit artus,
Crebráque fraudarint vacuum ieiunia ventrem,
Sum ſine honore tamen, totóſque inglorius annos
Dego miſer, miſera cum paupertate laborans.

FAV. *Tu mihi quodcunque hoc cœpti, quodcunque laboris*
Ingreſſo accumulas fauor in te vt tota recumbit
Spes mea me totum popularibus inſero rebus
Nil ego non venor, nil non procuro: quid autem
Commiſſum tibi, ſpe tam dudum paſcis inani?

FAVOR. *Suſcepi (fateor) ſuſceptúmque ipſa fa uebo:*
Me duce nomen erit tibi me duce gloria verum
Expectanda dies tibi, qua mea numina ſeſe
Et ſtudia exhibeant: vbi ſe dabit hora, fauoris
Nil deerit curæq; tibi: ſatis iſta ſupérque
Commendata meo res eſt Panurge, labori.

THEODO. *Tu quoque quodcunque eſt ſtudij, quodcunque laboris*
Et curæ, atque operæ, mihi Virtus ſola procuras,
Sola mihi triſtem maciem tremulámque ſenectam
Inducis, quem nullus honos, fructúſque laboris,

Præmia nulla manent: ſtudium hac mercede rependis?

VIRTVS. *Quid, Theodore? tui iamne obliuiſcare? qui nunc*
Exquiras alium, quàm qui à me venit honorem?
Nonne iſtud ſtudium, veterum quoque ſcripta ſophorum
Te docuere ſatis, ſibi quod pulcherrima merces
Eſt virtus pretiúmque? tibi ſi iungor aniles
Quid curas, ſortíſque leuis ludibria ſpectas?
Tempus erit, Theodore, meo quo numine tantum
Acceſſiſſe tibi nomen fatearis, honorem
Maiorem vt nullum videas tibi poſſe rependi.

LVXVS. *Audite hæc, audite, viri, fortuna quod omnes*
Admonet, huic teda quiſquis volet eſſe iugali
Coniunctus properet: potior cui vita placebit.
Huic ſe connubio iunget propriámque dicabit.

PANVR. *Audiſtine fauor, domina quæ cuncta potentis*
Fortunæ imperio luxus diuulgat? & ô me
Fœlicem, ſibi ſi iungat fortuna maritum.
Da, fauor, hac te parte mihi, fauiſſe iuuabit.

FAVOR. *Nulla tibi per me claudentur commoda, dextram*
Trado lubens, faciam noris quàm magna fauoris
Nomina, ſi modò me greſſu propiore ſequaris,

THEOD. *Iamne vides circum quæ ſtent incom-*

moda, Virtus?

Fortunæ quò quærat abit connubia primus
Panurgus, quin tu hos thalamos mihi iungis, &
audes
Prima præire, tibi quæ nomina prima, locúmque
Attribuis ſic te nihil vnquam audere iacentem?
VIR. *Quò rurſus demẽs Theodore relaberis? an nõ*
Sat tibi Fortunæ nota inconſtantia? fluxas
Quæ modò quas dat opes adimit modò? nulla in
galis.
Firma tori ratio eſt cum tam incõſtante, tuíſque
Nil ſtudiis prodeſſe poteſt, leuis illa recedat,
Sim tibi ſola ſatis. THEOD. *Nihil hanc habuiſ*
ſe nocebit:
Fœlicem ad rerum cumulum, ſophus ille putauit
Magnus Ariſtoteles Fortunæ ſi bona quid non
Ornamenta putem vitæ hæc noſtríque laboris
Subſidium? liceat ſemel inſeruiſſe potenti
Fortunæ, melius Fortuna cui datur vti
Hanc habeat. VIR. *Ne quid per me tibi deeſſe*
putaris,
Hanc operam concedo lubens, comiteris euntem.

FORTVNA. *Expectatus ades Luxus mihi,*
Dic vbi tandem
Sunt quos adducis, mea qui connubia quærant?
LVX. *En tibi non longè videas Fortuna, iacẽtes*
Tolle oculos, iam te paſſu propiore propinquant:

OTIVM. *Erige demiſſos artus, componito vultum,*
Iam ſunt vicini, iam te Fortuna ſalutant.
FORT. *Has remouete manus, quò me propiore mouetis*
Attactu, flamma interius maiore caleſco.
FAVOR. *Ex quo prima mihi lux, primáque vita recepta eſt,*
Auſpiciis, Fortuna, tuis, & numine tantum
Innixus creui, ſolam Fauor ipſe ſecutus
Te fateor venerórq; deam, rerúmque potentem,
Quæ ſuperos hominéſque regis, mea ſola poteſtas
Tu ſolum es numen: ſi quid mea numina curæ,
Officiiq; labor, ſi quid tibi grata fuerunt
Obſequia, accedo huc, vt qui te deperit vnam,
Ad iungens thalami ſocium, dignere maritum.
VIRT. *At contra paucis Fortuna hoc oro, laboris*
Si qua pij, ſi qua officij te cura remordet,
Si quid honeſtatis te præmia, ſi quid amandæ
Virtutis nomen, ſine qua tua nulla iacerent
Munera, permitte vt quo ſolo es digna fruatur
Coniugio, Fortuna, tuo Theodorus, amori
Hoc concede meo, Fortuna ſolus honeſta
Dignus honeſtus homo eſt, magnis cui rebus habenas
Contrahere & laxare datū eſt nō dignior ipſa eſt
Quàm qui profundens rebus non nouerit vti?
FOR. *Magna tui certè eſt reuerētia numinis, ingens*

Eſt nomen, Virtus,*ſed qui mea pondera* Tempus,
Réſque regit facit vt potior ſit cura Fauoris.
Ne tamen ipſa pati turpem videare repulſam,
*Accedat tuus iſte,*Fauor,*tuus huc quoque,*Virtus,
Gratus vterque vt erit nullo diſcrimine habebo.
FAV. *Accedant cupio.*FORT. *Prior huc* Pan*urge,ſequeris*
Hunc Theodore,*ſuus ſic cuique tenebitur ordo.*
PANV.*Quãtus ab æthereo ſolis cõſurgit ólympo*
Fulgor,diffuſo vt radios diſſeminat orbi
Oceaníque rotis vaga brachia circuit aureis,
Tam magnus Fortuna *tuo de vertice fulgor*
Procedit,radiiſque ſuis opera omnia luſtrat.
Qua totum latè Nereus *circonſonat orbem,*
Aurea tam latè ſeſe tua lumina fundunt
Lumina,quæ ſancto ſic omnia numine complent,
Vt cunctis tibi multa locis data hoſtia,multus
Aras intactis ab ouilibus imbuat agnus.
Quàm multi Libico voluuntur in æquore fluctus,
Tam multa accenſo tibi thure altaria fumant.
Si mihi quodcunque eſt rerum, quæcunque poteſtas
Largiris Fortuna,*mea tibi ſiſtat in æde*
Sacrum candenti & Pario de marmore ſignum,
Quid non dum præcone vocas talaria ſumens
Accurram?vt ſeu tu tibi me ſeruire iubebis,
Siue(quod heu cupio)ſocia dignabere teda.
Aut habeas ſeruum aut æquali ſorte maritum.

THEOD. *Adſum ego virtutis cuſtos regidúſque ſatelles*
AEqui admirator tantùm, ſectator honeſti,
Cui tua tempus ad hoc iacuerunt nomina, vires
Contemptæ vt primùm quæ ſunt virtutis haberẽ:
Vt virtute potens, reliquis in rebus honorem
Et dare, & imperio poſſem ſubmittere iuſto.
Tu te ſi qua mouet tolerati cura laboris,
Si qua hominis ratio qui rebus nouerit vti,
Iuráque coniugio & leges præſcribere honeſtas,
Da mihi te ſociam, nil te ſociaſſe pigebit.
FORT. *Dum* Theodore *tuam* Panurgíque *audio vocem,*
Tam tua quàm illius reficit, mihi vellicat aurem
Blandior illius ſermo eſt & amicior, omni
Depoſita feritate nitens tua verba ſuperbum,
Imperium, legéſque ſonant, atque aſpera: quiſquis
Fortunæ ſibi vult adiungere munera, blandum
Atque humilem eſſe decet, refugit Fortuna *ſuperbũ*
Et tetricum: ſed iam quis ſit videatur amictus.
Lucidus hic nimis eſt pectus qui prodat apertum.
Craßior hic quanto eſt, quíque intima pectora velet
Aptior eſt tanto fortunæ: quiſquis apertum
Pectus habet, minus in fortuna præſtat, opertum
Quod magis eſt ſibi vult fortuna. THEO. *At non ita virtus*
Me docuit quæ nihil tecti mihi pectoris, oris

Nil

Nil ficti voluit. FORT. *Placet & ſaltatio, vos hic*
Monſtrate alterno vt numeros pede pendere noſtis.
VIRT. *Hoc quoque non illum docui genus.* FAVOR. *ipſe probato*
Hoc quantum valeas. PANVR. *Poſita iam veſte probabo.*
FORT. *Hoc placet, at magis hæc grata eſt ſaltatio, iunctis*
Quæ pede tympanulis, numeris reſpondet & auri.
THEO. *Huius ego ignarus.* FAV. *gnarus contra ipſe.* FOR. *Probetur.*
Quid valeat, ſonitu numeroſo recreet aures.
Hoc aliquid certe eſt: ſed in hoc non omnia, grata
Muſica quæ pulſa reſonat teſtudine. quæq;
Et cithara dulci, & modulato prodit ab ore.
THEO. *Nil mihi cum cithara, nil cum teſtudine, & ipſa.*
Vox ſtudio, ſenióque meo quaſſata tremiſcit.
PANV. *Iam primùm ſolo dicam mea carmina plectro,*
Poſt poſito plectro hæc modulata voce ſonabo.

FORT. *Iam ſatis eſt plectro numeros docuiſſe, ſonoram*
Addito iam vocem, munúſque impleueris omne.
PANV. *Dicite Fortunam mea carmina, dicite diuam*

AEthereo

Aethereo nomen quæ Ioue maius habet:
Dicite *Fortunæ qui me coquit ardor amantem,*
Dicite venturi fœdera magna thori.
FORT. *Quid? præter citharam, nouiſti inflare recuruo*
Aere tubam? PANV. *Noui.* FORT. *nouiſti inducere vultus*
Perſonámque tibi variam ſi quando neceſſe eſt?
PAN. *Noui.* FORT. *ſæpe hominis vultus referendus amici,*
Sæpe probi eſt, ſæpe eſt hominis grauitate ſeueri,
Si potes hos recte Panurge inducere vultus,
Fortuna es dignus. PA. *Nō hic me vultus amici*
Arridens hilariſq; decet? non iſte ſeuerum
Arguit in triſti & tetrica grauitate? FO. *Quid? horum*
Nouiſti nullum Theodore inducere? THE. *nullum.*
Qualem me natura dedit talem effero, verum
Si ſpectes mihi quæ Virtus conceſſerit, & quæ
Aſſiduus ſtudij labor atque ſcientia, mores
Quæq; probi, hoc longe potior Fortuna videbor.
FORT. *Ne Theodore operam ludas, Fortuna iugali*
Se tantum huic tedæ iungit, qui nouerit iſthæc
Omnia quæ Panurgus habet: iacet vltima cura
Virtutis, cunctis quam dudum his artibus vti
Nouerit iſte, ſibi ſociam me ſemper habebit.
Quod ſi aliquando ſui ſtudij intermiſerit artem,

Diuertens aliò mea poſt connubia flectam.

THEO. *Quid rogo? ſic virtus temni tua numi:ia, nullo*

Vt iam te Fortuna loco dignetur? honore

Excipiat nullo? ecce vides, addicta fauori

Vt fugiat volitans, & me tua caſtra ſequutum,

Militiámque tuam ſordentem exhorreat. VIRT. *An non*

Agrippas, Curióſque inopes, paruóque potentes

Fabritios, duce me qui recta & honeſta ſequuntur

Pluris habes, quàm quæ Craſſorum nomina Parthis

Obſcurata iacent, leuis vt ludibria ſortis

Sectantur? valeat monſtrum inconſtánſque fugáxque,

Sim tibi pluris ego hac non deſertura, labaſcent

Vt ſenio Panurgi artus, vt deſinet viß

Promiſsis ſtudiis, ab eo Fortuna recedet.

Nudum ego te contra nunquam Theodore relinquam.

DIANA.

PERSONAE

DIANA, CROCALE,

HYALE, CVPIDO,

CAPER, HIRCVS, VIRBIVS,

DIANA.

FRATRE *ſuperba ſuo*, Saturnia *Iuno, & eodem*
Coniuge, ſublimi deuecta per aëra curru
Solicitos luſtrans Iouis *vlciſcatur amores*
Et ſocia nobis in virgine Nonacrina
Ipſa viri doleat caluiſſe ſub oſsibus ignes,
Vmbroſæ nobis placeant ante omnia ſiluæ.
CROCA. *Quàm patre* Saturno *Ioue coniuge* Iuno *ſuperbit,*
Vectáque ſtellatis curru pauonibus ardet,
Et ſibi præreptos quàm durè vlciſcitur ignes,
Tam Ioue *patre tuo* Latonia *virgo ſuperbis,*
Et nullas metuens bene caſto in corpore flammas,
Iure tibi gelidas ſiluarum deligis vmbras.

DIANA. Nata Iouis noſtri cerebro tritonia Pallas,
AEgide neſcio qua,galeáque, haſtáque tumeſcens
Gorgoneum caput oſtentet,victámque Meduſam
Cecroppias,habitet, quondam quas repperit arces,
Vmbroſæ nobis placeant ante omnia ſiluæ.
HYALE AEgide quàm Pallas galea quàm gaudet & haſta,
Quàm capite anguicomo,& reppertis arcibus,arcu
Tam gaudes Diana tuo certiſque ſagittis,
Et pharetra,& ſiluis ſiluæ tua ſola voluptas,
Laus tua quæ primæ iacuere Actæonis vmbræ.
DIA. Orta ſalo Citherea Venus, comitata puello
Et cæco & molli,laſciuis, vecta columbis
Idalio curru vacuum ſecet aera,Cyprum
Viſat honorato populis ſpectanda triumpho,
Et face neſcio qua & tedis ardentibus vrat
Incautas hominum mentes,figátque Cupido,
Quæ volet imbelli præcordia ſaucia ferro:
Figat ab adducto Diana animantia cornu:
Vmbroſæ nobis placeant ante omnia ſiluæ.
CROC. Mille grauẽ telis vacuata pene pharetra
Perdiderit fuſo per vulnera nigra veneno
Frater Apollo manu certis Pythona ſagittis,
Atque hinc eſculeæ tulerit ſibi frondis honorem:
Tu Diana ſoror damas,capreáſque fugaces,
Et lepores linquens,pecora inter inertia figas
Aut ſpumantem aprũ,aut maculoſo tegmine lyncẽ
Aut,

Aut fuluum celſo venientem è monte leonem.
Aut ſi quid Pythone ferunt immanius vmbræ.
HI. *Frater in æthereo Phœbus micet aureus axe*
Cùm volet, & ſtygiis idem ſeſe occulat vmbris,
Tu ſilua detenta tua, ſaltúque virenti
Exercens Diana choros, argentea cœlo
Tota mices, medióque modò cùm excreueris orbe
Tu Galli referas creſcentia ſtemmata regis,
Mox ſuperos pertæſa, tuo ſis reddita diti,
Dum tamen hîc egis malè ſano abducta tumultu,
Omnia caſta ſequens, placeant ante omnia ſiluæ.
DI. *Ergo agite ô comites, medium ſuperauerit axis*
Cum ſpatiũ frater, paruáſque altiſsimus vmbras
Fecerit vt calido findantur cuncta vapore,
Iam ſiſtamus opus preſens, & cæde ferarum
Defeſſæ vmbrarum lætos repetamus honores.
Altera Gargaphie hic nobis queratur, acuta
Que pinu ſurgens, ſit multa vmbroſa cupreſſu,
Fons vnde illimis vitrea perlucidus vnda
Pumice de viuo leni cum murmure manans
Virgineos artus tenui perfundere rore
Poſsit & innatos ſolis releuare calores.

CVPIDO.

Ergo mihi nunquam his deerit regionibus hoſtis?
Nuſquàm aberit qui me petulanti voce laceſſens

In nomen famámque meam ruat?hoſtibus vnus
Vnus ego obiiciar probro cum Cypride natus?
Nec ſatis iſtud erit probro ſi filius vno
Traxerit indignam maculato nomine labem
Ni cum nato eadem premat hæc iniuria matrem?
Sint nullæ veneris tedæ, ſit nulla poteſtas,
Sit nullum nomen, ſint nulla cupidinis arma,
Ecquis erit qui me qui matrem ignarus adoret,
Atque ita contemptis ſupplex imponat honorem?
Victus Pluto, meæ veritus ſit ſpicula dextræ
Senſerit illa eadem tumidarum rector aquarum
Ardentes gelidis capiens in fluctibus ignes,
Sanguineam voluens aciem cum caßide Mauors
Armatúſque manum dederit, conceſſerit armis
Ille meis: meus ipſe pater qui fulmina torquet
Iuppiter atque imbres commixta grandine vibrat
Submiſſa ceruice iugum hoc admiſerit, vna
Nata Ioue, imbellis ſic ſic mea numina ſpernat?
Sic arcu pharetráque ſua telíſque ſuperba,
Dum ſiluas ſequitur dum bruta animantia fi-
git,
Et matris tedas & nati ſpreuerit arcum?
Fratris & elatus noſtro conceſſerit arcus
Proſtrato telis quondam Pythone ſuperbus
Hæret vt in ſola nobis Peneide fixus,
Quæ ſoror eſt noſtros iam non expauerit arcus?
Sentiat illa licet contempti numinis iram,
Et videat num mas longe plus robore poßit

Quàm

Quàm mulier, figat Phœbe tuus omnia, at arcus
Te meus elatam viua in præcordia figat:
Diſcito plus æquo tumidos deponere faſtus,
Atque vide abiecti vulnus quid poſſit amoris.
DIA. *Ecquis ab immiſſa procedit arundine ventus*
Tam prope virgineas modò qui percuſſerit aures?
CROC. *Apparet telum, ſed teli incognitus author.*
HY. *Quiſquis is eſt, validis vibrat ſua tela lacertis*
Vibrantur magno miſſæ ſtridore ſagittæ.
CVP. *Inuidus ecquis adeſt* Boreas, *qui ſpicula nunquam.*
Irrita quæ ſolitus ſum mittere, torquet in auras,
Fruſtratóque meum cornu diuerberat ictu?
Hoc certè experiar ſi quid mea dextera poſſit.
CRO. *En aliud tenui vibratũ flamine telum,*
An ne vides Diana*? tuas preteruolat aures.*
DIA. *Ecquis in his ſiluis audet ſua tendere contra*
Spicula, & armato nos inuaſiſſe veneno?
CVP. *Falſa manus, quid id eſt? potius quàm victus ab armis*
Diſcedam, certum eſt totam exhaurire pharetram.
Si minus hæc cedit fœliciter, altera ſaltem
Ceſſerit: hæc nihil eſt, forſan magis iſta iuuabit.
HY. *Ecce iterum* Diana, *vides tibi grãdinis inſtar*
Tela ruunt, denſóque velut cumulantur ab imbre.
CVP. *Infœlix arcus, manus infœlicior arcu,*

Iam ſruſtrato ictu mihi tota exhauſta pharetra
eſt.

CR. *Aſpice ni fallor ſunt tela Cupidinis, ictus*
Ductus ab obſcuro notat inſidioſa puelli
Arma, quibus noſtrum cupit expugnare pudorem.
DIA. *Agnoſco inſidias, agnoſco, venena ſagittas*
Quæ ferro breui ore, magis præcordia lædunt.
Cæcus amor, cæca hæc caſtæ mihi bella parabat:
Inſanus rapiatur, vt his mihi vinctus in oris
Dediſcat teneras armis tentare puellas.
HI. *Accurre huc, accurre celer Diana, tenetur*
Inſidioſus amor telis imbellis, & arcu
Languidus, abiectam vultu fert ſupplice dextram.
DI. *Cur inſane puer cælo detruſus ab alto,*
Ne ſuperis ſereres diſcordia ſemina, terris
His etiam mihi tu letali tela veneno
Iſta meiſque paras, quæ tela retundere telis
Poſſumus his gnauaque manu ſtudióque potenti?
Expertus toties iuuenis mea numina quidnam
Poſſint, quid tua me temeraria dextera temnit?
Experiare licet caſtum tentare pudorem
Quid iuuet: hinc nobis nunquam elabere: parata
Vincula iam date vos, hunc vt poſt terga re-
uinctum
Cogamus preſſis miſere hic ſubſiſtere pennis.
CV. *Quid tu ſtulta ſtudes vinclis me cogere? coges*
Quò magis infælix magis hoc tibi pectus aduram.
Vos me, ſi vultis vobiſcum abducite, vobis

Iunctus

Iunctus ego vt titulo multo maiore triumphem.

CROC. *En tibi quò nodo pluſquam deuinctus aheno*

Stultitiæ pœnas luat,& depreſſus in imum

Non adeò poſthac quæ ſunt ſublimia ſpectet.

HYA. *Stringatur manus hæc caſtis inimica pullis*

Quiq; tuũ premit hac ſtringatur in arbore numẽ.

DI. *Iam ſatis eſt,vinctum dimittite, cedite longè*

Ne puer occultum vomat in præcordia virus.

CV. *Quid vos hunc fruſtra vincîtis:vincula nulla*

Quem capiunt? aliis ſubitis ego deferor alis,

Aſt alij inuitum ſibi me ſociare laborant.

Iam iam aderunt vltro per deuia rura vagantes

Qui me reſtituant mihi,qui data vincula ſoluant.

CAPER. *Nunquam erit Hirce dies vt quæ quæſita Diana*

Tam ſæpe eſt ſiluis mediis agríſque petita,

Cedat in amplexus fœliciáque oſcula iungat?

HIRCVS. *Sæpius illa Caper viſa eſt mihi, viſa ſed auram*

In tenuem exceſsit,cupidíſque illuſit ocellis.

CA. *Illa fugit vinctis vitta ſine lege capillis,*

Pulchra ſuo comitata choro,auerſata petentes,

Impatiens Satyrique expers nemora auia luſtrat.

HI. *Iam ſatis hæc dudũ nobis ſubducta petẽda eſt.*

Quocunque illa loco lateat quocunque receſſu

Inſerat orbe caput,nimius coquit ardor amantem

Intimáque occulto præcordia deuorat igne.

CAP. *Quid iuuat has vſum in communem cedere ſiluas,*
Hos ſaltus habitare,minus Dictynna reperta
Si cedat,noſtróſque minus reſtrinxerit ignes?
HIR. *Frãgamur potius quã nõ potiamur amata:*
Ardua ſollicito concedunt cuncta labori:
Queratur rurſus. Sed quis puer iſte decorus
Cæſarie, vultu blandus,pharetráque minaci,
Arcu terribilis qui lumine captus vtroque
Brachia nodoſo vinclo eſt poſt terga reuinctus?
CV. *Siſtite iã Satyri méque his exoluite vinclis:*
Quæ petitur vobis nunquam niſi numine noſtro
Continget,dabitúrque frui. CAP. *te ſoluimus,ergo*
Quod tibi ſit numẽ noménque effare. CV. *Cupido*
Dicor Acidaliæ veneris,mihi numen amore
In dando primũ eſt. HIR. *Sed quis tibi vincula ſtruxit?*
CVP. *Dura Diana ſuis dedit hæc armata puellis.*
CA. *Hæc ne reperta tibi eſt nobis quæ ſæpe petita*
Inuenta eſt nuſquam? CVP. *dura hanc mihi ſorte repertam*
Cernitis:at vos ô ſatyri: iam dicite,non dum
Omnia luſtratis,vobis hæc viſa ſub agro
Et tecto agricolæ? HIR. *Cultor ridentis agelli*
Tutius in ſeptis ceruos cum ſtipite figit
Quàm viuos ſiluis ceruos negat arma Dianæ,
Et ſtudium,qui ſe per eam rex aſſerit orbi.

Expellit

Expellit tetricam veniens pœnia Dianam.
CV. *Hanc ſibi non habuit vaſta mercator in æde?*
CAP. *Dũ variã ſpectat terráque mariq; rapinã*
Exactúmque ſibi tentat reuocare lucellum,
Mercurium magis implorat, ſequitúrque rapacem,
Vt iuuet arridens vanæ periuria mercis:
Integer ille fide minus eſt, integra Diana eſt.
CV. *Hac ſaltem ex voto potuit gaudere ſacerdos.*
HIR. *Nil aliùd Veſtã quàm puram credere flãmã*
Vt liceat, caſtæ quæ ſit coniuncta Dianæ,
Vnius vt Veſtæ tantum ſit ſacra profeſſus,
Veram ementitur malè caſto corpore Veſtam
Corpora de flamma naſcuntur nulla nec vlla
Ex Veſta, videas tamen huic quæ plurima naſci.
Tondendis potius, deglubendíſque tenellis
Detentus gregibus magis hæc ſibi rethia ſpectat
Queis prior in ſacris, celebríque in cardine primus
Aſſiduo ſtudio prædam venetur opimam.
CV. *Nobilium quondã ſtudiis celebrata Diana eſt*
Non & ea illorum ornata latitauit in aula?
CVP. *Prælia dũ rauco reſonant caua cornua cantu,*
Vndiq; & arma fremũt, fremit horor bellicus, ẽſis
Stringitur, infeſtus Gallorum finibus hoſtis
Imminet arma magis ſibi quàm venabula lato
Depoſcunt ferro, magis hic meditatus honorem,
Aſt alius Galli victricia lilia regis
Iam iaculo poſito imbelli lyciáque pharetra
Caſſibus ablatis claua exercetur & haſta:
Regis ad exemplum nunc intermiſſa Diana eſt

Propoſitus votis metuendus caſside Mauors,
Huius in vnius victricia caſtra feruntur.
Qui Dianam habeant qui Marti vt tela paretur
Sacrilega excidunt penitus nemora alta ſecuri,
Et loca grata deæ ſpoliant & frondibusorbant?
C V. *Non in ſupremo ſanctóque eſt viſa ſenatu,*
Vt grauis eſt tetricam ſequitur grauitate Dianã?
H I. *Nil generat Dictynna nouis parit ille procellis.*
Anguibus implicitam cumulatæ litis erymnim.
Dum ſibi communes cum multis cernit honores
Purpureúmque decus lati quoque munera claui
Addici pretio, magis id venatur, agítque
Ad ſe vt ſorte aliqua fugitiuum retrahat aurum
Rethia componens queis craſſa animantia multo
Pondere ſoluantur quæ ſunt infirma premantur.
Mercurio potius fortunæ ad fata ſecundæ
Vota facit, Triuiæ quàm caſtra quieta ſequatur.
C V. *Verum vbi ſunt muſæ potuit locus eſſe Diana*
Non hanc vmbroſis academia clauſit in oris?
C A. *Ore quidem caſtas vt iactitet illa camœnas*
Proſtituit ſpurcátque ipſam cum fratre ſororem.
Pluris auaritia eſt pluris diſcordia, & amens
Ambitio, pluris petulans laſciuia, lucri,
Turpis amor, pluris cœca indulgentia fretus
Qua iuuenis tumido ruat in ſua numina cornu.
Virtuti quæ danda ipſo venalia vino
Dantur & expoſito Pallas vileſcit in auro.
Ecce aliquis queritur ſacræ quod nauis Iaſon

Ductor, mellitam & medicatam frugibus offam
Dum ponit ſacro ſit vellere diues & auro,
Concidat Alcides potior qui rebus & armis
Sumere ſperati vellus debebat honoris,
Plus muſis noſtráque poteſt fortuna, Diana,
plus colitur dubiæ quæ miſsis ſortibus vrnæ
Sublimem hunc regere, hunc vilem parere coëgit.
CVP. *Iam ſatis eſt dictum, ſatyri labor irritus omnis*
Et vanus fuerit quiſquis regionibus illam
Aut terris aliis quàm ſiluis quęret amœnis.
Hoc illi ſtudium eſt, cura, hæc, hæc vna voluptas.
Non procul hinc Phœbo ſacer eſt caſtiſque camenis
Eucardia locus ſic hunc de nomine dicunt,
Diffundens gratas ſpatioſis frondibus vmbras
Irriguis circum leuiter crepitantibus vndis.
Dum zephiri his leni & facili ſe murmure miſcẽt
Huc ſe diua frequens recipit quo carmina muſis
Decantata ſonans viridi requieſcat in antro.
Hoc illa eſt repetenda loco, dum fortè quieſcens
Inſidias incauta minus fraudémque timebit.
HI. *Eſto locus viridi placeat ſub gramine, ſilua*
Rideat vmbroſa, ſinuoſo frigida riuo
Vnda ſonet, minus eſſe tamẽ mihi viſa Diana eſt.
CVP. *Quorſum hæc?* HIR. *Saturnum hic quidam meditãtur & ardent,*
Atque Ope pro genitos auidi ſub viſcera condunt
Dum metuunt ne forte ſua ſceptróque cadentes,

Quæſito imperij tandem ſpolientur honore.
Aſt alij tunſis dum incudibus æra reſultant
Vulcano arma ſuo fingunt Cyclopes, & ipſi
Multa Ioui in trepidam quæ mittat fulmina turbam
CAP. *Audij & hic alium Poliphemi, in imagine natum,*
Mandere qui miſerum nuper tentaret Vliſſem.
CVP. *Infœlix oculum ferro terebratus acuto*
Cœca regens baculo veſtigia littora circum
Errans inſanos Galatheæ dicet amores.
HIRC. *Quid quod ibi audiui qui Maia Atlantide natum*
Dum referunt Phœbo ſubducunt de grege tauros
Sopitúmque arcu ſpoliant viduantq́; pharetra?
CAP. *Vidi ego qui veneris furta vt meditantur, & ignes,*
Lumine detecti ſolis, vulcania tandem
Vincla ferenda dolent: vidi iunonia qui dum
Munera ſectantur Plutúmque in viſcera terræ
Scrutantur, renouant litem, caníſque virentem
Deturpant Hebem, & variato numine Veſtam
Venantur: noui qui Momi nomine ſeſe
Oſtentènt, ipſi vitium Nemeſimq́; ferentes,
Viſus & eſt alter ſacris Epidaurius herbis,
Qui dum veſtalis vulnus morbúmque procurat,
Vulnera dura nouo curat ſibi ſaucius igne.
HIR. *Auditi nobis qui dum reſonantia Phœbi*

Plectra minus curāt, quo vana & dura ſequātur
Carmina Marſiæ multo temulenta lyeo
Pene ipſam fuſo perdunt cum ſanguine pellem
Quid moror? an credam verā has habuiſſe Dianā
Qui ſe ad eam recto non ductu aut tramite ſi-
ſtant?
CVP. *Esto illam pauci ſincera fronte ſalutent,*
Hic tamen eſt, hic ſeſe alicui committit habenda
Vos ergo quando his mihi facta iniuria vinclis
Cum vobis ſpretis toties communis, ad arma
Iam properate citi, & preeuntem, atq; antra do-
centem
Queis lateat, certis pedibúſq; oculíſq; notate.
CAP. *Tu precede cito ſequimur veſtigia greſſu.*
HIR. *Nil erit inſidijs quod non excepta manúque*
Senſerit & noſtros tandē releuauerit aſtus.

DIANA.

VEnimus huc tādē comites, vbi gratior altas
Eucardia trahit ramis cōcordibus vmbras:
Venimus huc vbi fons latos ſuccinctus hiatus
Margine gramineo & tenui circunfluit vnda,
Tu Crocale, ſparſos nobis ſine lege capillos
Colligito in nodum, pedibus tu vincula noſtris
Deme Hiale, laticemq; mihi de gurgite viuo
Excipe gnaua manu, & diffunde capacibus vrnis.
CRO. *Si ſparſi ſine lege tibi potuere capilli*
Ardorem Satyris ſubitámq; adponere flammam,

Quid non compoſiti facient? neglectus in iſto
Ore color ſi certa tuo ſtruit arma pudori
Quid cultus poterit? Satyrorum exorta nouorum
Turba proterua nimis cæco petulanter amore
In ius fáſque ruens, ſibi nil moderabile ponit.
HIA. *Nonacrina chori quõdã pars optima noſtri,*
Arcũ vt deponit pharetræq́; incumbit, & vmbram
Et ſomnum captans falſa deluſa Diana
Prodidit inflati & vitiati pondera ventris:
Túq; adeo, dum Gargaphia ſub valle lauaris
Virgineóſque artus perfundis rore laboris
Venatúſque expers, noſti tibi retia, noſti
Vincula quæ Cadmi ſoboles malè ſana pararet
Actæon, dum vix poſito velamine, puro
Fonte lauans nobis velata tuere pudorem.
D I A. *Sunt noti Satyri, mihi nota proteruia, cui nil*
Integrũ eſt ſanctúmque, meæ mihi cognita formæ
Vis ſatis eſt tentata diu tentata petulcis
Laſciuíſque procis, notúmque quid otia poſſint,
Quo leuis Actæon perfuderit ora rubore:
Sed mihi nota minus non ſunt mea numina, Faunos
Quæ contra Panáſque omnes Satyróſque tueri
Nunquam polluta poſſunt data nomina famæ.
Semper in hoc arcu ſeruandi norma pudoris,
Semper in his telis fuerit petat vſque Cupido
Fruſtrato rurſus ferro præcordia: tendat

Me con-

Me contra Cytherea faces meus vnus in illum
Ardorem ſatis ignis erit, cadet ignis ab igne.

CROC. Sit tibi dextra potens, ſit ineuitabilis arcus.
Sit numen quod tu læſum vlciſcare, cauenda
Inſidioſa tamen tibi ſæpe Cupidinis arma:
Viuit inextinctus puer, & furialibus auſis
Incautum aggreditur, tacitiſq; allabitur alis
In mentes ſenſúſque: tuis ſic fide ſagittis
Externis vt nos armis venientia contra
Arma tegas, nihil hic ſatis omni ex parte quietum.

DIA. Venerit huc iamiam ſolus mea cura meúſq;
Vnus amor ſtudiúmque meum Theſeius heros
Virbius, hoc vno fuero defenſa, nec inde
Longe aberit, qui ſcit noſtræ hæc nemora omnia curæ,

VIRBIVS.

Syluæ noſter amor, ſiluæ mea vita, receptæ
Vos mihi fœlices cultæq; eſtote. recedant
Vrbes iam longè, & metuendi nominis arces
Fraus vbi & inſidiæ, & magno tentata periclo
Fama, & fœminea nil non violabile fraude,
Vmbroſæ nobis placeant ante omnia ſiluæ.
Iam meminiſſe iuuat ſceleratæ vt crimine Phœdræ

Arguor immeritus,patria deturbor ab vrbe
Me pater hoſtili prece deteſtatur euntem.
Ecce Corinthiaci dum luſtro littora ponti
Inflatur mare, conſurgt præruptus aquæ mons
Horrendúmq; imo à fundo dirúmq; remugit
Corniger hinc taurus fractis immittitur vndis
Pectoribúſq; tenus ſummas eductus in auras,
Naribus & lato partem maris euomit ore:
Tum noſtri turbantur equi,præcépſq; rotato
Excutior curru loris lacerantibus artus,
Viſcera cruda trahi & partim reprenſa relinqui
Sentio, membra rapi partim,& diſcedere victā
Corde animam, quā poſt dite indignante receptā
Prolis Apollineæ valido medicamine ſeruans
Debeo Dictynnæ,quæ me ne muneris huius
Augerem inuidiam nebulæ caligine cinxit
Quóq; forem tutus poſſémq; impune videri
Annos adiungens,nulli noſcenda reliquit
Ora mihi,ſiluis ergo concedite turres
Cæcropiæ,magni vos cedite nominis vrbes,
Integer in ſiluis pudor eſt,tentatur in vrbe:
Iuno alijs placeat,placeat Cytherea,Minerua
Flaua alijs placeat,mihi caſtæ forma Dianæ:
Vmbroſæ nobis placeant ante omnia ſiluæ.
DIA. *Expectatus ades,virbi,iungare receptus*
Iam nobis,ſocióq; choro,ſocijſq; pharetris.
VIRB. *Cui potius iūgar quā cui mea vita ſalúſq;*
Credita,cōmiſſum eſt ſtudium?tu ſola laboris

Norma

Norma mei,tu ſola decus regina,quod optes
Explorare tuum eſt, mihi iuſſa capeſſere certum.
CR. *Virbius arma tuis quã dudũ iunxerit armis*
Fortia criſpato vibrans venabula ferro,
Cedet amor,cedet Satyrorum ſpurca iuuentus.
HYA. *Virbius eſt caſtus.caſtæ ſi iungitur,ecquis*
Tam bene defenſæ poterit nocuiſſe Dianæ?
VIR. *Quàm tibi frondoſæ ſacrata ſilentia ſiluæ,*
Quàm ſaltus,caſtiq; placent in virgine cœtus,
Tam mihi cũcta placent,nõ me tua caſtra ſequutũ
Pœniteat ſtigias rurſus deſcendere in vmbras.
DIA. *Non ſi alias Phædras propter mea numina temnens,*
Immeritus ſtigium rurſus voluaris in orcum,
Te pigeat ſuperas rurſus reuocare ſub oras:
Tam bene qui ſtudio ſimili coniugimur,illo
Iungamur vinclo,quod nulla iniuria,nulla
Vis vnquàm fati,nulla addita numina ſoluant.
CVP. *Ignaui,ceſſatis àdhuc?non nota Diana eſt,*
Quæ ſe aliјs iungens veſtros occludit amores?
Ite viri,imbellem vobis ſubmittite turbam:
Ite meo afflati iam numine.vincite quæ ſe
Oſtentans vana vos ludit nominis vmbra.
Quid fruſtra barba hæc hirtaq; in corpore ſeta?
CAP. *Decidit in caſſes noſtros dea,vicimus,ohe,*
Vicimus,Hirce,quid hic lenti ſtupidiq; moramur?
Quin ruimus,petiſumque manu & ſurgentibus armis

Obiectã nobis prædam? HIR. Prece virgo petẽda
Ipſa prius, quæ ſi prece nil verbíſque mouetur,
Extremum quod erit manibúſque armiſq; petetur.
CRO. En tibi, diua, ruũt Satyri, tibi tela minãtur
Inſidiáſque, latet fallax poſt terga Cupido.
HIA. Vis contra vt ſtantes nos in media arma ruamus?
DIA. Siſtite, ego hos facili veniẽtes marte retũdã:
Nil opus hic vti quo poſſum numine, iunctus
Virbius vt fuerit, iuncta mihi vos quoq; nimphæ,
Cum Satyris victus mihi cedet vt ante Cupido.
VIRB. Nulla manus nobis te inuitam tollet, inanis
Cedet amor, cedent noſtris arma omnia telis.
CAP. O dea, ſi prima repetamus origine, quantis
Nos tandem huc referat fortuna erroribus actos,
Quò te vna miſeris gaudere aliquando liceret,
Dum neque nos gelidæ ſydus pluuiale capellæ,
Nec canis æſtiuus torrente leone teneret,
Te noſtri tandem credo, miſereſcat, & illos
Quos dudum igne tuo fouiſti extinxeris ignes.
Duritiem iam pone tuam, cape virgine molli
Dignũ animũ & facilem, Cupido ſociers amãti.
HIR. Quid nam admota iuuat noſtris tua nomina ſiluis,
Quid queq; ſilueſtres ſatyros nos eſſe, recepti
Si ſiluis nomen tecum vt commune tenemus,
Neſcio quo miſerè luſi diſiungimur arcu?
Cede manũ, tã duro animo tua forma repugnat.

Diana.

DIA. Audetis deforme genus, monſtra horrida, verbis

Et precibus mihi tam ſanctum tentare pudorem?
Ignari quo me pacto, quo vindice tuter.
Cedite iam, tua fœda Caper laſciuia nobis
Nota nimis, tua nota Hirce eſt petulantia, fœdo
Laſciuóque gregi iungi dea caſta recuſat.
CAP. Experiare licet, multo qui pugnat amore
Quid poſsit. HIR. Manibus noſtris inuita traheris.
DIA. Vos in me contra petulantes, diſcite quantũ
Illa poteſt caſtis quæ flammis pugnat amore
Fortius: huc Virbi, Crocaléque, Hialéque, proteruum

Sternamus genus hoc. CROC. Preſto en tibi ſum dea, cornu

Hoc oculos miſero huic fodiam. VIRB. Hæc venabula tingam

Sanguine ſacrilegi iſtius. HIA. Mihi terra rubebit

Tincta cruore huius, ſparſóq; infecta cerebro.
CAP. Ecquid id eſt? validis pugnãt violẽtius armis.
HI. Iam calor excedit, pugnis mihi tota terũtur
Oſſa: DI. Cadunt victi. CAP. Qui truſit ad arma Cupido

Nullus adeſt, ſubitis Cythereius euolat alis.
HIRC. Cedit amor pugnis. CAP. Caſta mea flamma Diana

Cõcedit, fugiamus. HIR. Amor nõ eſt mihi tanti

Vt peream. HIA. *fugiunt.* CROC. *Victi iam ter*
ga dederunt
Eſt ſatis hos viciſſe, ſuo licet igne fruantur
Vnde queāt, genus hoc noſtro ne marte ſequamur.
CRO. *Dū puer adducto in muſas ſua ſpicula cornu*
Vibrat, & intentus varijs videt artibus arma
Neſcit, & his ſeſe victum & ſua tela fatetur:
Sic indefeſſo ſiluas dea noſtra labore
Dum ſequitur, ceruóſq; premens apróſq;, pharetrā
Exhaurit, cæci quin tela retundat amoris?
HYAL *Non quocunq; loco facilis* Diana *tenetur,*
Nec quouis ſeſe concludit pectore: quærit
Eucardiæ animum, & qualem ſibi Virbius *olim*
Ignem habuit: Satyros *ſic vincit virgo procaces,*
Et ſibi caſta virum caſtum in conſortia ſciſcit?
VIRB'. *Soluitur vt temere vinclis* Cythereius *ales*
Quæritur & Satyris qui non quærendus, vt
ipſis
Quæſitus miſerè eſt, miſerè ſic ponitur idem.
DIA. *Vis ergo caſtam tibi coniunxiſſe* Dianam,
vt cum illa ſupero deſpectes candidus axe,
Imperióque regas animáſque vmbráſque ſilen-
tes?
Otia vana animo ponens, amplectere quod te
Muniat in venerem ſtudium, fac Virbius *alter*
Corde animóque bono ſuperis ſis redditus oris.

FINIS.

ECLOGA IN CONGRATVLATIONEM CARDINALIS LOTHARINGI AB ITALIA REDVCIS.

THYRSIS, LYCIDAS, MENALCAS.

QVid Lycida, potes hoc verum mihi dicere? nobis
An rediȷt? vaniſne meas ſermonibus aures
Nuncius impleuit non certo murmure rumor?
LYC. Hoc certè audierã, ſed quid dũ paſcua luſtro
Intentus pecori, ne qua lupus irruat errans,
Paruus ab incuſſa mihi venit arundine ventus.
THIR. O, vtinam reducem liceat vidiſſe, tenelli
Quo ſine marceſcunt medȷs præſepibus agni,
Langueſcit muta quondam vocalis auena
Paſtor, & vmbroſa recubat taciturnus in herba.
Vidiſti, noſtris vt primum ille abfuit oris
Ingemuiſſe pecus? ſuppoſtos matribus hædos,
Et lacte & mammis dudum abſtinuiſſe? notaui
Hoc quoque non ſolito vicina in ſepe vlulatu
Allatraſſe canes, querulis balatibus agnos
Stramineas impleſſe caſas, vt ſcilicet vnum

Sentirent ſibi deeſſe ſuo qui paſtor ocello
Vel nullis herbis macilentum impinguat ouile.
LIC. *Et memini, & ſeptis multo grauiora notaui,*
Cũ Nymphæ hic ſocijs ſolitæ ſaltare choreis
Abſtruſam ſubiere ſpecum, mutæq; ſorores
Obſtupuere nouem, tacuit pharetratus Apollo,
Nec ſolita calamos inflauit Tytirus vmbra.
Scilicet hinc aberat, qui noſtri gloria ſepti,
Qui pecudum vita eſt: Qualis ſine ſtipite vitis,
Hoc ſine tale pecus: ſed ſi præſaga futuri
Mens me non fallit, rediјt, vel proximus inſtat
Iam reditus: cernis pecudes, nũc graminis herbam
Errantes legere & læto contendere curſu?
Quin etiam dum vix criſtati cantibus oris
Rumperet aſsiduus nocturna ſilentia gallus
Dulce canens nobis hodie eſt audita Galanthis
Lentáque luteolis pingens vacinia calthis
Queis caſia & florem inſereret fragrãtis Anethi.
TH. *Credo equidẽ, nã doctus vt eſt, & paſcua curat*
Daphnis, ſic curat non plane indocta Galanthis,
Sed quod curat, habet ſolũ hoc ex Daphnide munus,
Quod nõ indocta eſt totũ hoc quoq; Daphni fatetur
Eſſe tuum ſine te violis diſtinguere flores
Nullos, nulla poteſt ſine te ſibi fingere liba:
Hæc ſi qua eſt, Lycida, noſtris quæ poſsit in agris
Scire vbi ſit Daphnis, quid agat, quid cogitet, vna
Scire poteſt: tamẽ hoc vel qui venit, ecce Menalcas
Non minus edoceat, læta vt meditatur auena

Neſcio quid,quid habet niſi quod de Daphnide certum eſt?
ME. Iam tutum pecudes in ſeptis carpite gramen,
Iam tutos latices tuta guſtate lacuna,
Daphnis adeſt,nullum nocuum eſt ſub Daphnide gramen
Et nulli latices, facit omnia candida Daphnis.
TH. Fortunate puer, calamis & voce magiſtrum
AEquiparans.ſic tu plenis preſepibus auctus
Errantes lætos videas cum matribus agnos,
Diſtento repetant ſic vbere ſepta capellæ,
Sic tibi curet oues,& amet tua paſcua Daphnis,
Daphnis adeſt?ne quid nobis mentire Menalca.
MEN. Sic mihi ſint nulli calami, vox nulla, ſuíſq;
Depereant omneis læti cum matribus agni,
Vbere ſic vacuo repetant mea ſepta capellæ,
Quódque magis fugio.ſic me,& mea paſcua Daphnis
Oderit,vt viridi redimitus tempora ſerto
Appulit & variis reducem Galathea caniſtris
Excepit,lætóque Paris crateris honore
Lac deſpumantis niueum eſt teſtatus amorem.
Nónne etiam vel nunc audiſtis cornua læto
Vt Paridis crepuere ſono ſonuítque calenti
Spica Ciliſſa foco?reſplenduit ignibus æther?
LYC. Fortunate quidē calamis & voce Menalca,
Fortunate tuis gregibus,ſed carmine dicto
Fortunate magis,quæ te non paſcua,quis te

Nõ modò paſtor amet? reducẽ qui Daphnida nobis
Daphnida voce canis? Nullus ſine Daphnide paſtor.
TH. Quale ſatis humor depulſisq; arbutus hædis,
Quale ſalix fœto eſt pecori dum virga vireſcit
Viminibus lentis, talis quoque Daphnis ouili.
LYC. Ergo Paris merito inflatis lætatur auenis
Lætatur, varia modulatus arundine carmen
Vt rediit Galli longè pars optima ſepti.
MENAL. Quid non lætetur poſt tanta pericla receptum
Eſſe ſibi quo non paſtor generoſior alter,
Alter non melior, non eſt coniunctior alter?
Heu, heu, quàm metui dum tempeſtatibus actus
Inſolitum per iter romanas nixus ad aras
Infido fragilíque nimis contendere ligno
Dum mare cæruleum cœlo nigrante tumeſcens
Huc illuc nauim raperet, Iunone ſuperba
AEolios flatus generoſa in ſepta ciente?
Sed bene, ſed melior Pallas prouidit, in aurem
Dum canit inſanis vt ſe ſubduceret vndis,
Et fidæ melius committeret omnia terræ.
TH. Erras non Iuno voluit, non AEolus illi
Non aliquis ſuperum nocuiſſe tumentibus vndis,
Preſſa ſed ingenti gemuit ſub pondere cymba:
Et cœlum inſolito dum vidit in aëre corpus
Palluit obducta circum ſua tempora nube,
Intonuit ſocio pro cardine cœlicus axis:
Hunc demiratus Triton dum cærulus actis

Se ſublimis equus prodit vada ſpumea verrens
Cærulea inſueto turbauit marmora curſu.
LYC. *Inuidus vt pugnet* Neptunus, *& inuida pugnet*
Æoliis ventis Iuno *confiſa, marinus*
Diſsimulet Triton, Phœbo *vel remige* Daphnis
Palladiáque manu tumidum ſuperauerit æquor,
Daphnis *amat* Phœbum, *daphnin quoque* Phœbus, *in vna*
Pallade *vt immoritur* Daphnis, *ſic* Daphnide Pallas.
MENAL. *Ergo duce hac* Daphnis *ſacræ ſacra limina* Romæ
Sic tetigit tanto paſtoribus auctus honore
Vt quæ ſuſcepti percepta pericula curſus
Et quæ damna viæ vel ſola abſterſerit hora.
Ecce vbi purpureo ingreditur veſtitus amictu
Pera conſpicuus varia, rubrôque galero,
Protinus effuſa hinc atque hinc paſtoria ſeptis
Turba ruit ſpargens diuerſi floris odores:
Et primos inter lætus ſalit Alpheſibœus,
Alpheſibœus *amor* Paridis *caua cornua* Rauco
Vndique complentur ſonitu, quin immemor herbæ
Adpoſitæ ſibi ouis ſolum miratur euntem
Vnius in vultu defixa, & lumine, Tybris
Vnum vt ſuſpiceret tranquillo ſubſtitit alueo,
Et placidis vndis placidus ſua flumina preſsit,
Quin ſua ſeptem etiam preſſere cacumina colles.

Tum verò in numerum faunos ſatyróſq; videres
Effuſos lætùm longa ſaltare chorea,
Et nymphas ruere, inter quas pulcherrima longè
Obuia procedens AEgle, blandéque ſalutans
Obtulit inſertam fragranti flore coronam,
Et capiti adpoſuit, tum ſacri ad limina Panos
Deduxit niueo circundans brachia collo.
Quid referam quod ego his tunc præſens auribus hauſi,
Quod vidi his oculis? vt enim meminiſſe voluptas,
Dicere, non facilis labor eſt: ſaltem mihi diuùm
Vos aliquam partem veni referatis ad aures.
TH. *Eia age, ſi quid habes nobis deprome Menalca,*
Noſter Daphnis honor, ſi quid percepit honoris,
Si fructus aliquid, partem quoque nos & in illam
Cedimus, & pecori veluti paſtoribus ipſis
Tuta ſalus magis eſt, nihil eſt ſine Daphnide tutũ.
MENAL. *Præſcribens ouibus leges, & iura capellis,*
Atque adeo ſolo componens omnia nutu
Pan deus, in media ſalientis graminis herba
Sederat elatus præfractæ in ſtipite quercus,
Quem circum variæ frondes, pictæq; volucres
Dulciſono liquidum mulcentes aëra cantu
Ille manu geſtans mirando culmine pinum
Canáque populea præcinctus tempora fronde

Daphnis vbi eſt viſus, notúſque ex lumine Daphnis
Continuo poſito ſibi maieſtatis honore
Sacrum agitans duplex canenti in vertice cornu
Suſtinet herboſo è ſolio deſcendere, terram
Vt premat, & propius paſtori occurrat eunti,
Occurrat, prenſóque manu ſacra oſcula iungat.
Ille verecundo ſuffundens ora rubore,
Atque deum veritus vix tandem iungitur, illi
Aſſidet, & fretus tam miti numine vocem
Vt paulum preſſit, tandem ſic ora reſoluit:
Maxime paſtorum deus, & tutela tuorum,
Cui veluti ſeruare pecus, ſic perdere ſummus
Poſſe dedit ſuperùm ſummi moderator olympi,
Nos tua progenies ſepti quibus annuis huius
Partem aliquam, & pecoris latè balantis hone-
rem,
Quandoquidem audiimus, quàm ſint tibi paſcua
curæ
Paſtoris Paridis, canibus dum hinc inde locatis
Arces à gallis gregibus ſeptiſque ruentes
Sublimi de monte lupos, quos perdita cœli
Aura fouens in nos non ſanis dentibus armat,
Parte alia infandas prohibes à limine flammas
Quas in nos multo paſtore armatus Iaſon
Molitur tentátque manu, nos iſta notantes
Venimus huc, tantum hunc non vt referamus a-
morem,

Quod non poſſe datur, verum vt teſtemur honoris
Parte aliqua: Paris hæc per me tibi nuntiat: vni
Pan ſibi quicquid habent pecoris mea paſcua, lactis
Quicquid habent tribuat, mea defero vellera Pani.
Me quoque dedo vni: tantum hoc vnum oro procuret,
Pace frui liceat tandem paſto. ibus, agnis
A trepidis gladius ceſſet, flammæq; voraces
A caſulis abeant, liceat ſub tegmine fagi
Vmbroſæ tuta modulari carmen auena:
Saltem ſi dura perſiſtens mente minatur
Ingratis animis me contra & numen Iaſon
Vt iam non detur peregrino ex hoſte receptum
Aduectare gregem, & Panos veneranda tueri
Nomina, concedat teneros ne quis mihi ſaltem
Eductos ſeptis oculus poſt faſcinet agnos,
Præſcribat qua lege putet quæ noxia fœto
Gramina ſunt pecori, quæ ſunt balantibus agnis
Noxia, tollantur. Placida deus audiit aure
Paſtorem, lætúmque caput canente capillo
Vt monuit, vultu quo paſcua noſtra ſerenat
Quo pecudes, ſacro Daphnin ſic excipit ore:
THYR. *Fœlix Daphni, dei cui tam prope ſancta videre*
Ora datum, et certas certa aure haurire loquellas.
MENAL. *Quid me, Daphni, rogas? Paridis quid nomine tentas*

Allice-

Allicere, & Gallis fœlicem reddere ſeptis?
Hoc fateor, ſeptis Pan ſum deus omnibus idem,
Sed me neſcio quid paſtor Paris altius vrit,
Altius vrit amans & me quoque Sequana quondam
Vidit, & exceptum læto dimiſit honore
Cùm teneras agerem pecudes, tenuique cicuta
Hunc aliquando mihi ſepti meditarer honorem:
Nota mihi Paridis pietas qui candida plenis
Huc ad nos calathis bene olentia lilia mittit,
Biſque die puris adolens altaria flammis,
Hæc eadem gratus lactantibus imbuit hœdis.
Vt iuuenis generoſa mouent me pectora, Franci
Sic mouet antiqui paſtoris gloria: quam me
His dudum volet eſſe locis qui præficit, huius
Vnus oues facili luſtrabo lumine, cornu
Contendam contra in venientia damna, nec vllæ
Vanorum inſidiæ paſtorum & tela meorum
Qui coniurârunt in me & mea nomina celſa
Dum ſtulti fruſtra tentant deducere ſede,
Deducent à mente: pium paſtoris ouile
Aequus curabo, ſic vt nihil impius hoſtis,
Nil lupus hoc contra nil agmina bellica poſſint.
Cautus vt Aeſonides tentet ſibi velleris aurei
Exuuias legere, incautus nudúſque recedat
Vt Paris Aeſonidem ſic lumina noſtra tuentur,
Vt tamen aſpiciant Paridem, Paris optimus vt ſit
Sic non eſt penitus nobis iniuſtus Iaſon:

Pacem amo, pax pecori vt grata et paſtoribus, vni
Sic Pani grata eſt, ego Pan deus omnibus idem
Omnibus idem adero, verum vt ſua cuique relinquens
Iura voluntatis nunc hunc nunc protinus illum
Paſtorem aſpiciam, Triuiæ ſed ſylua Dianæ
Vt magis apta gregi eſt, ſic qui quoq; cornua lunæ
Creſcentis ſequitur tantúmque in vertice tollit
Quantum illa exurgens creſcenti lucet in orbe,
Creſcens lucebit, multóque per arua colono
Et multam ſegetem & multum numerabit ouile.
LYC. Quàm noſtri Paridis fœlix eſt præco: quid autem?
Quid, num de Paride eſt, de Daphnide plura loquutus?
MENAL. Plura quidem, ſed quæ immemorem demiſſa per aurem
Effugêre: tamen quæ tunc tibi dicta fuerunt
Daphni, quid inuoluam lingua reticente tenebris?
Hic quoq; vel præſens ſenſit ſua præmia Daphnis,
Hic meritum officij in ſeptis percepit honorem,
Sic etenim Pan inſit: vt eſt Paris optimus in me
Sic in me es Daphni, & tu iam quoque dignus amari,
Qui virtute tua ſic ruſtica paſcua comples,
Vt nullus noſtro paſtor ſit notior orbe:
Te quoque, iam video, te (quod fœliciter olim

Dij vertant) mea ſepta manent, mea ſacra poteſtas
Vt pater his functum ſublimen abduxerit aruis:
Quod ſi etiam ſineret mea nunc natura, lubenter
Hanc tibi deferrem pinum, hac te ſede locarem.
Expectanda dies quam non procul auguror eſſe,
Qua ſibi ſperato ſeptum ſpolietur honore
Heſperium, & totus Gallum demigret in orbem.
Non ergo à nobis paſtor tuus expetat vllam
Seruandi pecoris legem formámue requirat
Qua mala vicini pecoris contagia tollat,
Noxia qua gregibus ſubducat gramina fœtis,
Qua caueat teneros oculus ne faſcinet agnos:
Vnum te quærat ſolum, téque audiat vnum,
Quo nullus pecori melius præſcribere legem
Paſtoríque poteſt: tua ſit tua Daphni voluntas,
Et tua cura gregi Gallo: quæcunque notaris
Approbet iſta Paris, certe hæc mihi cuncta probantur
Atque adeo ne dicta mihi forte irrita credas,
Accipe quod ſummum eſt: volo ſis à Pane ſecundus:
Tu tamen interea non indonatus abibis,
Namque ego quos olim mihi de Syringe paluſtres
Compoſui calamos, & iam Syringa vocamus,
Hos do Daphni tibi, vt noſtros mediteris amores,
Ille capit capiénſque ſonat noua carmina paſtor:
Terrigenas auſos cœlum affectare gigantes

Congeſtos ſtruerent dum ſydera ad ignea montes,
Fulmine qui tacti verſa ſub mole iacerent:
Tum ſuper hæc cecinit, nota impietate Lycaon
Vt Iouis *in iugulum diſtrictos apparat enſes*
Fit lupus, Arcadico *ſyluas implens vlulatu:*
Scilicet vt cantu hoc etiam vana arma notaret
Vanáſque inſidias, quas ſummum in Pana *ſceleſta*
Sacrilegáque manu paſtorum turba mouere
Auſa foret quondam fuſo iam ſanguine pœnas
Conſilij pendens, offenſi Panos *ad aram.*
LYC. *Quàm bene dij ſuperi* Paridis *vidiſtis honori*
Dum Daphnin *iungi voluiſtis: te bone* Daphni,
Te pecudes ſyluæq; canent, te paſtor ab ortu
Solis & occaſu veritus, tua iura ſequetur,
Te facilem facilis venerabitur, omnis ab vno
Pendebit, referent iam te paſtore capellæ
Vbera lacte domum diſtenta, & roſida quercus
Mella dabunt nobis, priſcæ veſtigia nulla
Fraudis erunt, aut rara: cadet tandem impius anguis,
Quinetiam ſtygii fallax cadet herba veneni,
Ceſſabit varios ſibi fingere lana colores,
Murice ſuaue rubens aries cum ſepta pererrans
Senſerit in croceum mutari vellera luteum
Et ſandix vltro lactantes imbuet agnos.
TH. *Aſpice, num mirum eſt? nulla huic fortuna negari,*

Fama-

Famáque nulla poteſt, vni ſe terra reſoluit
Fœlix, ſe ponthus, ſe mitia ſydera pandunt:
Vel puer ipſe rudis primum peræq; pedíque
Vicino nobis paſtor cùm degeret agro
Paſtores inter quos iam veneranda ſenectus
Ars quoque laudaret, ſaltu cantúque pedóque
Quid iam non poterat? ſenior miratus vt AEgon
Naturam pueri, mediúmque amplexus, & ô te,
Te puerum dixit, fœlicem cui modò iam ſe
Non ſolum obſcuro hæc latitantia paſcua fundo
Verum aliquando etiam ſeſe omnia pabula debent.

MENAL. *Vel primum id docuit* Rhemenſi *vt paſtor ouili*
Præfectus ſeruauit oues, & noxia cunctis
Gramina purgauit miſſóſque in ſepta furentes
Ore lupos ſolus vel ſola voce fugauit.
Quid memorem aërias motaſſe cacumina quercus
Indigeſtarum confuſo ſemine rerum
Dum molem caneret, quæ poſt diſcreta liquentes
A cœlo & vacuo ſecluderet aëre campos,
A campis terras? ſed longo carmine paſtor
Ante alia illachrymans repetitum ab origine primæ
Narrabat lapſum pecudis, quæ infecta, ſequentes
Inficeret, cuius magno miſeratus amore
Diuinus paſtor primis vt redderet herbis
Suſtinuit ſacro laceratus corpore, totam

Imbuere immeritus fuſo ſibi ſanguine terram
Vnde repente ſalus pecudi pecoríque recepta eſt
Et compreſſa lupi rabies frendentis, & anguis
Calcatus periit: citius numeraris ariſtas
Quas profert Siculo flaueſcens gramine campus
Carmina quàm cœpti memoraueris omnia cantus.
Non tam Parnaſus Phœbo cantante, nec Orpheo
Tam gaudet Rhodope, quàm gaudet Daphnide tellus.
LYC. *Et Melibœus erat pater huic, qui paſcua quondam*
Noſtra etiam cauto tentata recepit ab hoſte,
Vt morte ereptus pallentibus occidit vmbris
Hunc quoq; dimiſit, Melibœi ex ſemine Daphnin
Quem verè aſpiciens fatearis, ſic patris vnus
Ille pedum, ſic ora refert, & ouilis amorem.
Nec ſolus Daphnis generoſo ex ſemine pugnat
Pro ſeptis Paridis, pugnat diuerſus in oris
Sanguine coniunctus paſtor, variáque corona
Hinc atque hinc ſepem hanc cingens, & paſcua vallans,
Non ſinit hoſtili temerari lilia flatu.
TH. *Degeneraſſe pudor, venit à radicibus humor.*
Qualis erat paſtor Siculus, ſua qui pius olim
Vendidit, vt nos ad ſacra intercepta vocaret
Paſcua, & infido pugnans ſubduceret hoſti,
Talis ab antiquo ſic ſurgit ſemine ſanguis.

MENAL.

MENAL. *Ne pueri dubitate, ſua ſibi Daphnis in æde*
Pyramidem ſacrat, claræ ſuperaddita lunæ
Cornua cui liceat creſcentia cernere latè,
Quam cingunt hederæ circum ſerpente corymbo.
Pyramis vt firma eſt ſic illa ſtante virebunt
Pallentes hederæ, creſcunt vt cornua lunæ
Dum totum creſcens argentea compleat orbem,
Sic fælix creſcet virtute & nomine Daphnis.
Quare agite mecum reducem dū gnaua Galanthis
Excipit & caſulam dignatur viſere paſtor,
Ruſtica quæ detis merito bene munera, iamiam
Fingite non etiam, quamuis ſint parua, recuſat.
LYC. *Laurum amat, vt credo, vt lauri eſt de nomine Daphnis,*
Huic ego laurigeræ componam ſerta coronæ.
THYR. *Hic quoque Palladio lætatur munere, pacis*
Paſtor amans, lætæ huic ramum meditabor oliuæ.
MENAL. *Non tam muneribus gaudet quàm carmine Daphnis,*
Sic ſolum magno pro munere carmen habebit.
Iam forte hinc nobis Daphnin grauiora vocabūt,
Ne mora ſit: ſua quiſque domi ſibi munera curet.

FINIS.

EPITHALAMIVM ANTONII
Bartholomei patricij ciuiſque Lucenſis & Yſabellæ Cenami.

PHoſphore redde diem, quid ſic ſperata moraris
Gaudia? purpureum Phoſphore redde diem.
Redde diem, vt ſurgens cupidos mireris amantes,
Mireris Cypriæ parta trophæa nouæ.
Iam nouus ecce tibi quidam procedit Adonis,
Quo ſine viſa ſibi nulla futura Venus.
Procedit, non qui Triuiæ nemora alta Dianæ
Dum petat obliquo vulnere figat aprum:
Sed qui ab Acidalio deſcendens monte, petitæ
Virginis in thalamos carmen & arma paret.
Phoſphore redde diem, quid ſic ſperata moraris
Gaudia, purpureum Phoſphore redde diem.
Qualis vbi Delon maternam tangit Apollo
Cinctus odoratam fronde premente comam,
Progrediens, vultu fragrantes eflat odores,
Et veris ſacro ſpirat ab ore decus,
Talis Acidalio veneris de monte receptus
Præcinctus multa tempora pulchra roſa,

Progre-

Progreditur ſpirans coſtúmque crocúmque, rubente
Ipſo etiam Clario dum videt ora deo.
Progreditur niueæ vt florem decerpat amicæ
Quo decerpto alio flore vireſcat humus.
Phoſphore redde diem, quid ſic ſperata. &c.
Gaudia, purpureum &c.
Vt Phœbum aſpicies claram ſic luce Dianam
Qua ſua ſit Triuiæ forma ſutura pudor.
Aſpicies ipſa ſic tetricitate decoram
Vt comi arridens tetricitate iuuet.
Non pharetrata tamen neruoſo prodit in arcu,
Vt poſsit ſolas figere caſta feras.
Longè alias alio ex arcu Pharetráque ſagittas
Promens, vult aliam figere virgo feram.
Figere vult, cæco quam dum defixerit ictu,
Ictu ſe fixam ſentiet eſſe pari.
Phoſphore redde diem &c.
Gaudia &c.
Ipſa Diana tamen ſola vt ſua lumina nocte
Difundit, tenebris ſic ſua tela iacit.
Sic ſua tela iacit, iaciens ſibi ſoluere ceſtum
Vult veneris caſto quem capit ore virum.
Purpureis pudibunda genis thalamíque viríque
Expers, ad tedas non niſi nocte venit.
Non niſi nocte venit trepidans, metuítque virili
Ne ſit in ingreſſu ſuccubuiſſe pudor.

Noctem amat & veneris tedas, ſuus ignis in igne
Nocturno, abſcondi vult ſua furta Venus.
Phoſphore conde diem, quid iam nocturna moraris
Gaudia? purpureum Phoſphore conde diem.
Auricomo in cœlis exurgens heſperus igne,
Auroræ multo gratior igne micat.
Hic natam trepidæ complexu auellere matris
Blandius vt pugnat blanda puella poteſt.
Et iuueni cupido caſtam ſociare puellam,
Quæ licet vt pugnet ſe cecidiſſe cupit.
Vt deſponſa noua firmet connubia flamma,
Sentiat impreſſas ora ad amica faces.
Heſperus vtrique eſt magis exoptatus amanti,
Occiduo occiduus gratior ille thoro.
Phoſphore conde diem, quid iam nocturna moraris
Gaudia? purpureum Phoſphore conde diem.
Veſper adeſt, pulſóque redit Titane, ſubque
Procedit ſponſo ſponſa petita nouo.
Procedit niueo hinc atque hinc inſignis amictu
Ora, ſua referens candidiora niue.
Pendulus ad plantas cum fuluo dimicat auro
Crinis, & eſt Cypriæ concolor ipſe ſuæ.
Sardonica ſmaragdo fulgens, & Iaſpide, vultu
Sydereo fulgens eſt tamen illa magis.
Pone columbellæ niueo ſplendore ſorores,
Quas idem certo tempore ſperat Hymen.

Quæ vincant Charites, Lucretia, Laura, Camilla,
Quæq́; illis ſoror eſt Iulia iuncta tribus.
Procedit virgo diui iam pandite Pauli
Atria, quò ſacer hic concelebretur hymen.
Cernitis ætherei vt ſuperentur ab ignibus ignes,
Cedat & humanæ cœlica teda faci?
Auditiſne ipſo dignos Amphione cantus?
Auditis Clarij plectra ſonora dei?
Cernitis vt quali cœtu non prodiit olim
Diua Thetis Peleo conſocianda ſuo,
Prodeat exurgens cœtu comitata virorum
Quos alios poßit dicere terra deos?
Procedit virgo diui iam pandite Pauli
Atria, quo ſacer hic concelebretur hymen.
Illa verecundo ſuffundens ora rubore
Virgineos tardat ſolicitata gradus.
An fles? flere veto, nullum tibi nupta periclum
Ne ſurgat toto clarior Oceano,
Neue leuis ſponſus te non contentus adulter
Fiat, & alterius virginis ora petat.
Vitis vt arboribus iunctis ſeſe implicat errans,
Amplexu implicitus ſic erit ille tuo,
Solus vt ille ſibi, fueris ſic ſola, pudicus
Fœlixque vtraque eſt parte futurus hymen.
Mitte timere, nouo facilis iungare marito
Vt nouus eſt, veneris ſic noua miles eris.

Qualis quæ nudo vitis viduatur in aruo
Marcet, & agricolæ nulla petita iacet,
Quæ ſi vlmo fuerit ſurgens coniuncta marito,
Agricolæ fuerit multa petita ſuo:
Sic intacta manens virgo, atque inculta, ſeneſcens
Arida amatori nulla petita iacet:
Connubio coniuncta pari, velut ipſa parenti
Grata, ſuo, grata eſt ſic magis ipſa viro.
Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus arbos,
Vir ſponſæ decori eſt, & ſua ſponſa viro,
Mitte timere, nouo facilis iungare marito:
Vt nouus eſt, veneris ſic noua miles eris.
Deſiit, ecce vides tua iam Yſabella timere,
Huic vt iungaris Bartholomée veni.
Auſpice iam ſacro iuncta eſt tibi, & oſcula figens
Blanda, tibi niueam porrigit ipſa manum.
Porrigit ipſa manum pudibundáque dum premit ora
Se prædam tandem non negat eſſe tuam.
Eia age viciſti parta eſt tibi præda, petitas
Spargito iam pueris Bartholomée nuces.
Iam ſatis eſt nucibus luſiſſe, Thalaſſius adſit
Fœlix, ſperatam iam tibi frange nucem.
Dicite iam pueri, geminata dicite voce
O Hymenée Hymen, ô Hymenée Hymen.

Surgi-

Surgite plus ſatis eſt epulis choreíſque tributum,
Longè alia optatus gaudia poſcit hymen.
Sternite iam teſtes notæ ſociæq; fideles
Quo nocturna ferat prelia nupta thorum.
Hoc vos pro veſtro componite more puellam,
Quæ iam prò caſta virgine mater erit.
Virgo petita iacet, metuit nec nuda mariti
Conflictum, quin tu lente marite venis?
Deſinite, ecce venit corámque in prælia noctis
Deſcendens, veneri iungitur ipſe ſuæ.
Dicite iam pueri geminata dicite voce
O Hymenée Hymen ò Hymenée Hymen.
Nocturnæ veneris pugna confuſus vterque
Sudanti implicitus corpore gaudet amans.
Gaudet amans, aurora diem ſperata reducit,
Inuidet & læto gaudia tanta thoro.
Iam ſatis eſt luſiſſe, boni iam ſurgite amantes,
Surgite, iam noua vos ludus ad arua vocat.
Villa Peronæi haud procul hinc blandiſsima fundi
Quam veneris poſsit dicere quiſque domum.
Villa ſinum vobis pandit, vos ſperat, & vmbram
Ad leuiter fuſas arbore opacat aquas.
Iam ſatis eſt luſiſſe, boni iam ſurgite amantes,
Surgite, iam noua vos ludus ad arua vocat.
Auditis ſtrepitum vos hinc illíncque morantùm
Auditíſne ſuum quæ ſonat ales Ityn?
Auditis zephirum qui leni flamme ſpirans

AEquales tenui murmure ſternit aquas?
Iam ſatis eſt luſiſſe, boni iam ſurgite amantes,
Surgite iam &c.
Cærula iam in portu vos cymba expectat amantes,
Cæruleás Triton Cærulus ambit aquas.
Hunc circum fuſi pueri, fuſæq́; puellæ,
Quódque canat pleno gutture vulgus Hymen.
Vos expectati dudum conſcendite nauem,
Dat placidas illis orta Citheris aquas.
Cymba ſecat fluctus, vos læto appellite curſu:
Te dignos dignè ſuſcipe villa thoros.
At vos interea teneram exercete iuuentam,
Ne doleat primo conſenuiſſe die.
Sponſam fœlici facito vir ſemine matrem,
Fœlici ſponſum tu quoque ſponſa patrem.

EPIGRAMMATVM LIBER.

Ad Petrum Gallandium Latinarum literarum profeſſorem Regium.

Viſa queri quondam noſtrarum turba ſororum
Ingratis multas quod cumulaſſet opes.
Qui non hoſpitio ſe dignarentur honeſto,
Tecta ſuæ facerent dum malè auaritiæ,

Vnus vbi huic dignas hinc atq; hinc extruis arces
Quæſitis opibus, deſiit illa queri.
Et bene (ait) bene ſic iuuet hunc d. taſſe, relictas
Qui nobis inopes noluit eſſe domos.
Limina auara procul, procul & mens ſordida, muſis
Vna hæc pro reliquis ſit ſacra tota domus.
Fœlix hoſpitio tali, fœlicior vno,
Pectore quo melius, quas capis æde, capis,

Ad Lectorem.

Quantùm eſt carminibus meis pudoris,
Si tantùm dederis tui fauoris
Lector, depoſito pudore, tantùm
Subleuata tibi ferent honoris.

Ad Bibliopolam.

Carmina tot, tineas & tot capientia ſcombros
Edita ſint damno bibliopola tuo?
Nulla meis dabitur cudendis hora, labórque
Forſitan hæc circum viſus inanis erit?
Vtque opera his, omnis malè ſic tibi charta peribit,
Hæc ſibi nullus erit qui bene credat emi?
Pone metum, nam ſi mihi nil mentitur Apollo,
Aſſiduum cuius nomen in ore mihi,
His etiam ſcriptis dabitur ſua fama ſuperſtes,
Fama tuis olim non nocitura typis.

Contentus modico, nil quoque miror ego.
Vt tibi nil fucus, nil fraus, ſic nil mihi: grata.
Vt tibi ſimplicitas, ſic ea grata mihi.
Vt tua grata tibi, mea ſic mihi grata poeſis,
Vt tuus eſt tibi, ſic gratus Apollo mihi.
Sic patria & genere & vita qui iungor eadem,
Num verus ſtudio ſim tibi frater ego?
Diſsimiles tamen hoc, quod quæ eſt tibi tota poëſis,
Vt ſuperis ſacra eſt, ſic ſacra ſola canit.
At mea laſciuit nonnunquã, vtque hæc tua prudẽs
Maturè egreditur, præcipitata mea eſt.
Rurſum hoc diſsimiles rapto mihi quod patre veris
Fratris vt officium, ſic quoque patre obis.

Ad Fortunam de ſe.

Vix dum lacte ſuo parens puelli
Os balbum imbuerat, repente quando
Mi morte eripitur, duóque luſtra
vix rurſus ſuperans Lutetianas
Athenas venio, noua vt procella
Cadens morte pater meum moratur
Inceptum ſtudium, vna & altera æſtas,
Et ſupra altera vix peracta, quando
Deſertus patriam meam reuiſo,
Vbi tres hyemes ſcolaſticorum
Inter puluereos greges pererrans
Miſer conſenui, receptus inde

Athenis latiis manu adiuuante
Fratru, ſic ſophiæ grauis ſeuerum
Percurri ſtadium, mei vt laboris
Dignam perciperem in ſcolis coronam:
Sic percepta mihi eſt, vt hinc docendo
Annos contererem ſecunda ſors nihil
Vt me reſpiciens magis iuuaret:
Si Fortuna tibi dedi maritum
Cur me non melius rogo, maritas?

De Galla.

Galla ſuo furti malè dum ſuſpecta marito eſt,
Ecquid, ait, caſtam me iuuat eſſe diu?
Ergo pudor valeat, valeant inſana mariti
Iurgia, me falsò pœnitet eſſe ream.
Sint læſa vt metuit ſociati fœdera lecti,
Qui non ante mihi ſit violatus hymen.
Dixit & in venerem vetitam dum fertur, inanem
Zelotipi vocem noluit eſſe viri.

De Eadem.

Galla thori vt læſi falſo eſt ſuſpecta, pudorem
Proſtituens, falſa ſuſpitione caret.

Ad Petrum

Ad Petrum Clericum priuilegiorum conſeruatorem.

Incauti ſacro quidam vulcanius igne
Pene Acheronteis merſerat ora vadis,
Dum patris ille ſui fabrilia vincula fingit,
Et fumum admixto fulminis igne vomit.
Opponis dextram tentatis ignibus, & me
Abſumptum ignoto non ſinis eſſe rogo:
Admonitus tandem vulcania vincula ſoluo,
Puráque ab Aethneis faucibus ora traho.
Quantum ergo huic odij poſſum debere Charonti?
Quò mihi pene honor eſt, quò mihi rapta ſalus.
Tantùm vni tibi me debere fatebor amoris,
Quo mihi ſaluus honor, quò mihi ſalua ſalus.

In Pſeudopoetam.

Eſt triſti facie Ciclopiáque
Noſtri bullicrepus, gena tremente,
Demiſsis oculis, ſinúque aperto,
Hirſutíſque comis, ſine arte barba,
Vultu pallidulo, fluente amictu,
Prolixo vngue, manu inquinatiore,
Sic Democriticus ſibi eſt poeta.
Eſt credo, & fateor, magus ſed vno
Poeta eſt titulo vocandus, vt qui
Audax plurima dum nouat, vomítque
Quod magni ſibi vix licere quondam

Priſci crediderint viri poetæ
Nouus iudicet hoc ſibi licere.

In *Symonem*

Si meminiſſe nihil, nihil eſt debere, fatebor
Nil debere, velis dum meminiſſe nihil.

IN LITHOPHAGVM.

Næ rabidæ fauces, & ferro durior aluus
Eſt tibi, qui lapides crudáque ſaxa voras.

Ad Adrianum Turnebum Græcarum literarum profeſſorem Regium.

LINGVAE *parentem ſi ſua Demoſthenem*
Miratæ Athenæ, fulmen vt docto euomit
Diſertus ore, turba ſi Quiritium
Mirata Marcum detonantem Tullium,
Græcis latinas præferentem litteras:
Vnum magis te redditum & natum ſibi
Lutetianas par Athenas Neuſtrium
Suſpicere, mirari colere. cur? ſingulos
Quos Roma, quos habuere Athenæ olim ſibi,
Lutetia vna in vno habet ſibi duos
Demoſthenem Græcum, latinum Tullium.

Ad Gulielmum Paradinum
Decanum Belliiocenſem.

Qualis in hiſtoria romana Criſpus habetur,
Talis tu noſtra ſcriptor in hiſtoria:
Clarior hoc tamen es, quòd caſta vt pagina, vita
Caſta eſt, quæ Criſpo lubrica tota fuit.
Iam facis hoc ſcriptis, vt auis atauiſque quod olim
Eſt viſum nobis, deſinat eſſe cinis.
Vt noſtri videant maiorum facta nepotes,
Et repetant generis ſtemmata prima ſui.
Tam doctè vt ſcribis, quid Paradinus haberi
Nomine vis iam non conueniente tibi?
Si quod blæſa hominum mutauit lingua nitorè
Et famæ tentes reſtituiſſe ſuæ,
Paucis mutatis, quò te natura vocauit
Et doctrina, tibi è Pallade nomen erit.

Ad Io. Auratum

AVreus eſt animus tibi, & aurea pagina, vena
Aurea, ſimplicitas aurea tota tibi.
Aureus ergo vt ſis totus, quid nomine falſò
Sic deceptorum ludis in aure virûm?
Aut tu quæ tibi ſunt cuncta aurea pone, nitorem
Vel rebus digno nomine redde ſuis.

Ad Rupellum.

Sæpe rogo, Rupelle, mihi numeroſa docenti
Afluere vt pendens poſſit ab ore cohors.
Sis multis (inquis) perfuſus odoribus, atque
Hinc hinc gemma tuis luceat articulis.
Virgatis niteas ſagulis, ſit coccina veſtis,
Coccina quæ varijs ſit laqueata modis,
Calceus abſque luto regum ſplendore cothurnos
Qui referat, terſa ſit chirotheca manu.
Sit grauis inceſſus, ſit vox inflata, ſuperbum
Quæ per ſe & doctum tota ſuperba ſonet.
Sit quæ depoſito reprehendat cuncta pudore,
Sit quæ mel felli miſceat vſque ſuo.
Sit prenſare homines manus haud indocta, doloſa
Mens, ſimulare tibi & diſſimulare potens.
Vt ſic inſtructus fueris vel ſola docebit
Socraticis melius veſtis honeſta ſophis.
Vel ſolus vultus te finget Apolline dignum,
Vt taceas, vultu & veſte diſertus eris.
Si verum eſt quod ais, valeat veſana iuuentus,
Rebus ab externis quæ malè pendet inops.
Palladis incipiant fieri Phœbique miniſtri
Queis datur Aſsirio tingere vela croco.

De Cæcilio

De Cecilio amatore.

Ieiuno eſt ſtomacho, latrante ad viſcera ventre
Cæcilius, ſicca ſiccus auaritia.
Quot conuictores numero ſibi poßidet, illos
Ipſe tot effractis dentibus eſſe cupit:
cruda olera, & viuos latices, & cærea pruna,
Caſtaneas magni poma, nucéſque facit.
Ad ſtudium melius faciunt ieiunia, dicit,
Non facit ad doctam docta Minerua gulam.
Vnde rogo nobis factus redit iſte repente
Tam magnus doctor, qui nihil ante fuit?
An pietas mouet hunc? nihil hoc, quæ cauſa? crumena eſt,
Quàm ſibi ieiunam ſic cauet eſſe minus.

De Clemente.

Clemens pampineo ſibi ex liquore
Et vitis lacrymis, trahens colorem
Oris purpupureum, ſuáſque nunquam
Non multo irriguas habens lyæo
Fauces, carpophorum ſemel monentem
Hinc glabri vitium venire dentis,
Quòd hunc ipſe minus frequens lauaret,
Sic ludit lepido facetus ore,
Quid in n e officium hoc (ait) requiris.
Quò nullum potius frequentiúſque?

Dum vino lauo delicatiore,
Nullus non mihi pene dens labaſcit.

DE SE.

Eſt gratus mihi Pan,ſed ruſtica ſordet auena:
Gratus Appollo,minus ſed manus atra placet.
Mercurius gratus,non grata rapina:Venúſque
Eſt grata,at Veneris iurgia grata minus.
Nulla Venus mihi, Mercurius ſic nullus,Appollo
Nullus,Pan nullus,ſum mihi ſolus ego.
Solus?at erro,meis nam dum me oblecto camœnis,
Tam bene ſtipatus,ſolus vt eſſe queam?

DE SCOLAE BECODIANAE
Præceptoribus 1555.

QVæris Socraticos tibi diuinóſque Platonas?
Quæris Ariſtoteli quo ſua charta placet?
Quæris Chriſippi argutum qui vincat acumen?
Quæris cui Senecæ eſt æmula muſa ſui?
Quæris Iſocratici viua ornamenta leporis?
Quæris quo Graiis eſt ſua lingua pudor?
Qui Cleantheum poſſit ſuperare laborem?
Quíque Palemonias vincere poſſit opes?
Cui ſua ſimplicitas doctrina ornatur?honori
Cui ſua ſedulitas in pietate venit?

Muſica

Muſica cui veluti concors,ſic vita?paratum
  Ingenium quoduis cui ſit ad officium?
Quærito quas muſis ſtruxit Gallandius ædes,
  Hos omnes ludus Becodianus habet.

De Tornacenſi domo.

VIs Phœbum tibi corneo potentem
Arcu,vis ſtudij ſacri,ſacríque
Iuris non penitus rudem? peritum
Vis artis medicæ? noua & virenti
Qui ſylua vmbriferum nemus camœnis
Sacrum Pyeriis tibi reponat?
Quem nulla arte queas gradu mouere?
Cui victus facilis pudórque ſimplex?
His Tornaca viris domus ſuperbit.

De Carpophoro.

Hoſpite Carpophoro nil parcius,hoſpite eodem
  (Quod mirum mihi)nil largius eſſe poteſt.
Vix bene cùm multùm numeres,quicquam erogat,
  aurum,
  Sobrij vt ingrederis tecta ſuperba viri:
Vix bene cœnatus quod pendas accipit aurum,
  Porrectámque prius contrahit ipſe manum.
Tam ſubito ex parco largus qui factus.& auro
  Nil parcens?reor hæc vnica cauſa,bibit.

In Graculum quendam.

Græca crepans Marcus vaſta clamoſus in aula
Diſcipulis tumidus detonat iſta ſuis:
Vos agite atque animum non deſpondete, laboris
vobis in ſtudio curta futura via eſt.
Vos ego nanque tribus vel menſibus ipſe docebo,
Quod mihi ſcire prius Graia Camœna dedit,
Si verum eſt quod ait, concluſa eſt Græcia paucis
Finibus, aut nihil eſt quod didiciſſe poteſt.

De lauro contaminata.

Nil mihi iam laurus proiecta vilior alga,
Nil facit ad crines illa petita meos.
En, quæ doctorum præcingere tempora ſolum
Debet, Apollineo tota dicata choro.
Proh pudor? indocti criſtato vertice ſurgit,
Grande nefas, dura commaculata manu.
Phœbe, lyræ pudeat te conſecraſſe, tuóque
Hanc capiti, indoctum ſi decet ipſa caput.
Vel caput inſanum hoc ſtultúmque caloribus vre
Quo tibi raptus amor, quo tibi raptus honor,

De eadem.

Phœbea docti ne cingite tempora lauro
Vilis enim indoctum dum caput ambit, ea eſt

Viderat

De Bibulo.

Viderat effracto Bibulus cratere, liquorem
Effuſum veteris diſſiluiſſe meri.
Vt natat obliquans, ſiccámque humectat arenam,
Procumbens terram lambit & inde bibit.
Illacrymánſque, imóque trahens ſuſpiria, corde
Vix tandem teneris pareit ab vngue genis.
Pallidus has ridēs lacrymas abſtemius, heus tu,
Heus ait haecne *aliquo ſunt bene digna viro?*
Cui Bibulus, liceat piſcem tibi flere peremptum,
Et lacrymis lacrymas non ego flebo meas?
Hic, hic, (ſi neſcis) temere qui fuſus oberrat
Ex ſancto Bacchi corpore ſanguis erat.

De ſe.

Si quando deſit mihi ſacra pecunia, totum
Corpus in ingenio deficiente cadit.
Si quando ſperat plenos mihi prodiga in vſus
Ad luxus totum luxurioſa vocat.
Hem, quid agam? pauper diuéſque laboro, moratur
Me mala paupertas, luxus inanis agit.

In Trinominalem quendam.

Vno nomine, Marcus vrbe tota
Multò notior omnibus furore

Quam qui percitius huc & huc vagatur
Bacchans,& medium forum pererrans,
Tamen notior vt foret,duobus
Nomen præpoſuit:triumuiralem
Sic famam ſibi(credo)is aucupatur:
Sed clarus titulo trinominali
Num ter ſtultitiam ſuam notauit?

De Paulo.

Fortè olera exiguo carpebat Theſtilis horto
Quæ decocta virum poneret ante ſuum.
Præteriens videt hanc Paulus,viſáque potitus
Hoc redimit pretio quod legit ipſa ſibi.
Cum ſcrobe vitali,vitalem huic excolit hortum,
Et ſerit irriguo ſemina cruda ſolo.
Non olera(vt credo)qui poſſim credere?ab horto
Non olus hoc aliquod,ſed puer ora tulit.

Ad Parphocorum.

In talis ſi crebra venus te miſſa ſecundet,
Non miror,colitur nam tibi crebra venus.

Ad Mineruam.

Vt ſit Vulcanus claudus,non clauda Minerua es,
Vt non caſta Venus,caſta Minerua tamen:
Formoſa vt Veſta eſt,ſic tota eſt integra,claudum
Nil vt habet,caſtum ſic fouet ipſa focum.
Si plus Vulcani comites veneriſque vereris
Quàm Veſtæ extremum dico Minerua vale.

Ad liuiam potentioris nuptias affectantem.

Ingens eſt piſcis,piſcanti debilis hamus,

Obducto

Obducto fruſtrà quid iacis æra cibo?
Vt tuus hunc habeat fluuius, cras ſequana habebit
Quære alias piſcis quàm tibi delitias.
Si fruſtum hoc ſperans aliorum negligis eſum,
Irrita ſpes, vna mors tibi certa fame.

De Baccho ad *Iunonem.*

Sic quondam arebat Phœbeo vitis ab igne,
Vt ſpes in torto palmite nulla foret.
Vt ſacras ſibi Bacchus *opes ſua viſcera ſentit*
Ardere, & lentis ignibus vſque coqui,
Mollia ſemiuſta præcinctus tempora vite
Vxorem magni ſic rogat ille Iouis.
Non ſatis eſt arſiſſe ſemel me matris in aluo
Dum das decepto fulmina dura patri?
Ni nunc vix tandem medio ſubductus ab igne
Viuus ego inſolito grandior igne cadam?
Parce opibus tandem vitis miſerata calorem,
Qua Bacchus *miſerè diſpereunte perit.*
Arriſit Iuno, *grauibúſque è nubibus imbrem*
Mittens diſiectas ſurgere iuſſit opes.

Apopthegma.

Thuricremos ſuperis Gallus dum libat odores,
Et peragit cœpta miſtica ſacra prece.
Pulice morderi ſenſit ſua terga moleſto,
Corripit, atque vnguem hunc inter vtrunque necat.
Hæc fatus, medijs licet obtruncare ſub aris

Occultas nobis qui ſtruit inſidias.

Idem.

Sacrificum pulex medijs mordebat in aris
Hunc rapit, & preßi pollicis vngue necat.
Hæc addens, ſacris hic inſidiator in aris
Tutus erit tutum qui ſinit eſſe minus?

De Pictore quodam Mine-uæ.

Si tibi propoſitæ facies effictà Mineruæ
Eſt rudis, ad cultum quid facit illa rudem?
Si ſacra tota illi eſt cui iam natura polire
Cuncta dedit, quid non illa polita magis?
Ergo ſeu rudibus voluiſti effingere, finge
Sic animos faciat quæ minus eſſe rudes:
Seu magis exultis ſacras fingiſque politis,
Exulta quod ſit terſius arte dato.

De Criſpo & Marco ſocijs.

Vna eadémque domus Criſpo eſt Marcóque, cubile
Vnum, menſa vna eſt, vnus in igne focus.
Si quando media Criſpus ſpatiatur in vrbe
Semiuſtum ad cinerem Marcus in æde latet.
Si quando ante focum glaciali criſpus in æde
Stertit, tum media Marcus in vrbe volat.
Ledæi vt fratres Caſtor Pollúxque recurrunt,
Alter vt apparet protinus iſte latet.
Sicne domi ſemper cuſtos eſt alter, vt inde
Furtiua poßit nil perijſſe manu?
Non hoc credo, domus ſed vt vna, cubile focúſque
Concordes veſtis ſic capit vna duos.

Ad

Ad Guilielmum Bernard
Burgundionum primarium.

Seu tu vibrata iacularis fulmina lingua
Et nimbos mixta grandine ab ore iacis,
In nodum adſtrictas voces ſeu cogis, & idem
Vis dulci & facili fundere verba ſono.
Sic tribus his grandis dulcíſque breuiſq; probaris,
Vt meritò poßit cedere palma tibi.
Quod tamen aduerſis rebus ſuccumbere nũquam
Viſus es, impoſita nec tibi mole premi.
Niteris vt contra ſurſum ſempérque reſurgis
Hæc magis ipſa tibi cedere palma poteſt.

Ad The. B.

Cur ſatis eſt tetigiſſe manu? non tempora lauro
Cingere, quæ totum vix bene tota capit?
Aut nullus dignus lauro eſt, aut cingere crines
Illa tuos æquè quam tibi Phœbe poteſt.

De Anacreonte.

Anacreon Batillo
Suo ſibi vt placeret,
Suo tamen Lyæo
Viſus magis placere.
Nam quandiu ille vixit,
Scribendo vel bibendo
Sic extulit parentum,
Vt hec ſuam payprum
Suum vel os notaret.
Quin ille ſic eum olim

Curauit vt recepta
Illius vua ab ore
Sui in acino Lyæi
Ab hac die euolarit.

De Clemente, & Aulo.

Obruitur vino Clemens (ait Aulus) & idem
Quantum vaſta poteſt vrna tenere, tenet.
Quid contra Clemens? tantum cepiſſe puderet,
Commiſſum poſſem ſi tenuiſſe minus.
Iam verò quantum ipſe capis non te pudet Aule,
Omnia qui effundens nil tenuiſſe queas?

De Corydone quodam.

Detegit vt Corydon furtiua gaudia noctis
Sacrifico, laudans virginis ora ſuæ,
Ille voluptatis perceptæ gaudia, turpi
Quam ſibi ſubÿceret pendere iuſſit anu.
Viſa hera, quæ membris ſenióque effœta Charōtis
Ad ſtygÿ cymbam ſarcina prima foret.
Vt videt hanc qua non deformior altera, culpam
Flens miſer huic tandem detegit & ſubigit.
Dúmque ſepulchralem conto pertentat Auernum
Ignis anus facta eſt quæ fuit ante gelu.
Euge ait, euge, animam culpa ſic elue, lentus
Nil vt agas, lento nam tibi clauſa ſalus.

In Vatÿ ſomnium.

Vatius vt ſomnum captat pennatus in auras
Euolat, & templi culmina ſumma petit.
Quæ ſomni ratio eſt nũ quod venatur & ambit

Sacra

Sacra ſacerdotum templa dicata manu?
Quæ cupiit vigilans per ſomnũ prenſat, & hoc eſt
Quod volat, & ſacra celſius in æde ſedet.

De quodam Iano.

Lautius vt paulo cœnauit Ianus, in vrbem
Pernoctaturus furta ad amica volat.
Vis ergo verè concludere, collige tantum,
Ianus nocte domi non iacet, ergo bibit.

In idem.

Vis ſcire quando non iacet Ianus domi?
Si quando nocte largius paulò bibit.
Vis ſcire quando largius paulo bibit?
Si quando nocte non iacet Ianus domi.

Ad Ioannem Columbet doctorem medicum.

Si confecta iacent lætali corpora morbo,
Qua morbum cures eſt medicina tibi.
Si languent animi vitiorum errore ſepulti:
Scripturæ vt cures eſt medicina ſacræ.
Sic clarus titulo duplici, quæ gloria rara eſt,
Aegroti es medicus corporis atque animi.

De monte & cruce.

Roma olim impoſitum vidit ſibi Martia montem
Et gemuit montis pondere preſſa ſui:
Crux montem ſubiit, ſed quæ ſublata, repente
Tolleret hanc quam mons fecerat ante, crucem.
Proh dolor immiſſa bona crux diſiecta procella eſt,
Diſiectáque crucis cura ſuborta noua.

In obitum Io. Calmi.

Sic animam Plautus, ſic ipſe Terentius eflat
Eſſet vt in Calmo viuus vterque tamen.
Eflat vt iſte animam moritur facunda Terenti
Gratia, Plautini Muſa ſepulta ſalis.
Quin animam potius lugens Academia ponit
Ereptus fato ponit vt iſte ſuam.

In ſomnium ſuum poſt obitum Ioannis Calmi.

Quid tam ſæpe mihi repetitâ nocte reſurgens
Calme venis? quid me nomine Calme vocas?
Ad quod me vinum, ad quæ me conuiuia trudis?
Aut quouam tibi iam menſa parata loco eſt?
An menſæ vt ſocium poſcas conuiua morabor?
Vt ſocius vitæ, non ego mortis ero?
Ibo Ibo, vt vitæ & mortis deus arbiter huius
Iuſſerit, inuitus non tua fata ſequar
Det modo cœleſti qui prandia ponit in aula
Adpoſiti micas ſumere poſſe cibi.
Calme mane, conuiua ſequar tibi ſæpe vocatus,
Vt cupiam cineri proximus eſſe tuo.

In Græculum quendam.

Dum tu Græciſas Græci tibi nomina captans,
Græculus an potius Graculus eſſe potes?
Plurima mentiris, leuiterq; effundis, inanem
Ignaro eructans, & ſine mente ſonum.
Nomine quo leuis eſt & mendax Græcia nobis
Græculus es, titulo non alio eſſe potes.

Graculus

Graculus vt garris fuluóque moraris in auro:
O ſchola tam docto non obitura viro.

De ſe.

Nata Iouis cerebro Pallas capitoſa putatur,
Quod capitoſa dea eſt ingenioſa dea eſt.
Verum ego quam longe natura à Palladis erro.
Hoc iuuat eſſe illi, quod nocet eſſe mihi.
Quis putet hoc? ſequor, vt caſtra imperioſa, Mine-
Ingenioſa minus dũ capitoſa mihi eſt. (rua eſt)

Ad Syluanum Briou doctorem
Theologum.

A ſylua ſyluane tua dum pendeo primùm
Ingenij capiens prima alimenta mei,
Sic tepidũ tepida capto mihi frigus in vmbra,
Fortuna inuideat faunus vt ipſe mea.
Nec mirum hoc alijs colitur qua ſylua, ferinos
Sylueſtréſque magis tota recepta facit.
At tua culta mihi vt ſyua eſt ſyluane, ferinum
Et ſylueſtre animo quid niſi pono meo?

Ad PPl.

Tuſſio ſi tuſſis, ſi friges frigeo. ſi tu
Forte cales, caleo, ſi canis ipſe cano.
Si ludis ludo poſito ſi ſeria ludo
Inſequeris, poſito ſeria & ipſe ſequor:
Vt fucata tibi nõ eſt, nec operta voluntas,
Sic nec fucata eſt nec ſinuoſa mihi.
Hinc nos rara alijs, firmos concordia iungit:
Alter tu vt tibi ſum, ſic mihi es alter ego.

De ſe.

Me mea ſimplicitas inopi traduxerit aura,
Illæſa vt mihi ſit ſimplicitate fides.
Calliditas alios opulenta inuoluerit arca,
Sit minor vt vafra calliditate fides,
Quantumcumque premat mea me fortuna, pigebit
Me nunquam eſſe mea ſimplicitate inopem.

Ouis de Paſtore querela.

Externum paſtor pluris ſibi dum facit Hircum
Quàm ſibi commiſſam quam pede calcat ouem,
Per facinus miſerè diſcuſſo vellere ſternor,
Sternor lanigeri ſpes generoſa gregis.
Hirci vt amans fuerat ſic illum par fuit eſſe
Paſtorem hircorum non tenerarum ouium.

Ad Io. Fournier virum Theologum.

Regius eſt Pſaltes ſuperúmque hominúmq; parenti
Gratus, vt ante arcam voce manúque canit.
Dum Pſaltem Pſaltes canis, & quæ regia ſacro
Paſtoris quondam plectra dedere ſono,
Abſtruſos reſeras ſenſus interprete lingua,
Culta tibi magis eſt fœderis arca ſacri.
Gratior hinc ſuperis, teſtis quo tu hoſpite primus
Vteris hic, ſummo cui caſa facta deo.
Sic habitare datum eſt, ſic hanc ornare, relicta
Vt iam illa, ſupera ſit tibi in æde locus.

Ad Natalem Pailletium
doctorem Theologum.

Sic

Sic olim Cicero tibi docenti
Verſatus, Cicero vt nouus reſurgens
Poſſes eloquio tuo videri.
Sic Ariſtoteles recluſus olim,
Poſſes vt merito tuæ renatus
Quidam Ariſtoteles ſcolæ putari
Sic diuinæ etiam profunda chartæ
Sunt arcana tibi notata, Paulus
Vt poſſes ſtudio tuo vocari,
Teſtes ſunt tibi ſorte qui potenti:
Nitentes ſocij, fauore adeptam
Quam quærunt ſibi, rectius coronam
Virtuti & ſtudijs videntrelictam.
Teſtis vox hominum frequens, fauori
Locum quæ prius vt datum notauit.
Sic in te ſtudijs datum probauit,

Ad Oneſimum.

Surdaſter tuus hic puer eſt Oneſime, moleſtus
Auribus. ecquid eum tam tibi ſeruus habes?
Si peto equum, dat acum, ſi lãcem. porrigit enſem,
Si vinum, lignum, ſi gladium, radium.
Si mel, fel, cribrum, ſi librum, deníque panem
Si peto, latrantem porrigit ipſe canem.
Nuper ego lucem in tenebras, noctémq; rogabam,
Cum mihi non lucem, ſed dedit ille nucem.
Aut nihil eſt quod ego hunc rogitem, vel cuncta rotangi
Sunt illi digito nuda notanda meo.

Eſt graue ſic puerum tecto fouiſſe focóque,
Vt tibi non habeas quando habuiſſe putes.

Amoris remedium.

Fames amorem ſedat aut certe dies:
Quod ſi illa flammam illius haud extinxerint,
Medicina ſumma aptetur vt laqueus tibi.

Ex Luciano.

Non homines amor offendit, verum ipſe proteruis
Eſt animis hominum cauſſa repertus amor.

Ad Sextum.

Nil non promittis quò diſcas Sexte, docenti
Sed tu nil numeras, quid docuiſſe iuuat?
Nil tamen vt diſcas numeras non pauca, quid hoc eſt?
Vt docuiſſe iuuet, nil numeraſſe iuuat.

De Iano equite.

Ianus eques, veneris ſerit vt noua prælia nocte
Prima, qua thalami concelebrandus hymen,
Seſſor equa exiliit, catapulta emiſſa, fragorem
Vt dedit, & toto decidit ille thoro.
Quid noua miles? ait, nihil hoc exterrita, bello
Suppoſitum ſeſſor tam male fingis equum?
At Ianus contra, vulcania vincula iunctus
Si veneri metuit Mars, ego non metuam?

De Gargilio amatore.

Nil immundius olim ineptiúſque
Fuit Gargilio, capillus horrens
Quales Eumenidum ſolent colubri:

Barba

Barba impexa, nigro colore vultus,
Et ſquallore ferox, fluénſque veſtis
Multo infecta luto, lacer cothurnus:
Nunc pura eſt toga, pexa barba, crinis
Myrrheus, Roſeo rubore vultus
Splendens, vt veneris putes alumnum:
Vno denique terſius, magíſque
Comptum Gargilio nihil videbis.
Sed vnde inſolitus nitor repente
Hic nobis rediit? Apollo qui fit
Qui Vulcanus erat prius colore?
In promptu ratio eſt, amare cœpit.

Franciſci Berbiſij Epitaphium.

Dum ſibi me Rhetor iuuenẽ, ſibi me ſophus ambit
Nec me Rhetora mors nec ſinit eſſe ſophum.
Proh dolor, vtilior rethor potiórque fuiſſet
Quando mihi in tetrico parca recepta ſopho.

Ex Stratone.

In lecto duo ſunt patientes & duo agentes,
Sunt tres quos verè quatuor eſſe putas.
Si quæras, Qui tres, numera inter vtrumque iacentem
Bis, commune vt opus quod ſit vtriſque facit.

Ex Græco.

Omnibus ingreſſus pax dicit Epiſcopus, at qui
Omnibus hanc poßit ſolus vt intus habet?

Ad Philippum Montanum Ternacenſem Primarium.

Vt ſuus eſt arcus, ſunt & ſua ſpicula Phœbo,
Quæ non fruſtrata miſerit ipſe manu,
Vt medicina ſua eſt, tibi ſic tua, corneus arcus,
Et non erranti ſpicula miſſa manu.
Quiſnam igitur nobis alter niſi ſurgis Apollo,
Quo iam cæleſti eſt ars ſua nulla deo?
Hoc illo maior, cæleſtis perdit Apollo,
Tu ſeruas tibi quos perdere poſſe datur.

Ad Io. Fabrum.

Quod faber es, ſunt qui vulcani ex ſanguine natum
Te credant ſiculas incoluiſſe domos:
Quod medicus ſunt qui Phœbeo ex ſemine iurent
Non niſi Phœbeas exeruiſſe manus
Verum alij natum Maia ex Atlantide credunt,
Vt cernunt linguæ flumina quanta tuæ.
Vulgus in ambiguo eſt ſed ſi me iudice ſiſtat,
Vulcani es, Phœbi, Mercurijque genus.

Qualem diſcipulum velit.

Scis quem diſcipulum mihi requiram
Quo ſit dura minus grauiſque claſsis?
Hunc qui nouerit vt lego tacere,
Et tacens auida aure deuorare
Quæ ſunt dicta ſibi, frequens rogare
Me norit ſimul ac tacere cœpi,
Frequens ſcribere, ſcripta deuocare
Meum in iudicium notamque, victus
In fletus ruere, is mihi receptus

Si ſit

Si ſit diſcipulus,neque audientem
Vnquam pœniteat neque edocentem

Ad Iacob.Carpentarium.

Turba ſuperborum quondam fumoſa ſophorum
Quæ veras ſophiæ dilaniabat opes,
His quibus inuolui tentarat noſtra tenebris
Reddita,vix tandem victa pudore ſilet.
Victa pudore ſilet,fucóſque intelligit omnes
Hic pre natiuo poſſe pudore nihil.
Quidquid id eſt,totum hoc Academia noſtra fatetur
Promerita ingenÿ flumina viua tui.
Nam quem turba nocens ſtygio damnauerat orco,
Voce,manu,ſtudio,reddis Ariſtotelem.

Ad Lodoicum de Rouuille.

Digna tuis Lodoice gerens natalibus ora,
Non minus ipſe tuo ſanguine digna facis,
Vt formam verè iuuenili ætate virilem
Sic ſenis ingenium canitiémque refers.
Hoc cultura dedit Graiæ latiæq; Camœnæ,
Et multis veniens vſus ab hiſtorÿs,
His tibi ſic animos cunctorum iungis,vt æque
Pauperibus placeas principibúſque viris.
Perge igitur,quantum tibi dat tua vita fauoris,
Tantum etiam laudis præſidÿq; dabit.

E.Græco.

Capra lupum lacto mammis inuita,ſed illud
Cogit paſtoris mens male cauta mei.

Auctus vbi fuerit, fera beſtia ſæuiet in me:
Mutare ingenium gratia nulla poteſt.

Ad Io. Peregrinum.

Si quo tempore Phœbus imperitum
Marſiam ſuperauit, aſſidente
Mida qui melius daret canenti
Palmam, ſuppoſitus Midæ fuiſſes,
Vt Phœbo ſua laus, ſuæ decentes
Quas non obtegeret coma fluente
Et velo auriculæ midæ fuiſſent,
Cui purgata adeo auris eſt, vt olim
Qui viſus Latiis ſeuerus oris,
Is talis Metius putere: quin hæc
Quæ dantur tibi ſcripta contremiſcunt
Vt poſſint tibi vix ſatis placere.

Ex pallada.

Non mihi Grammatice, non eſt tolerabilis vxor:
vxor rixoſa eſt, indiga Grammatice.
Affectus horum ſunt mors & parca duorum,
Atque adeo effugi vix bene Grammaticem.
At non coniuge ab Andromacha me abducere poſſum,
Nam charta hoc & lex impedit Auſonia.

E Græco.

Vxorius nullis malis non fluctuat:
Omnes fatentur, coniugem ducunt tamen.

Ad Tho.

Ad Thomam Bellum.

Si ſcribis numero fluente Belle,
Tam bellè numeri fluunt, parentem
Vt poſſis latiæ referre linguæ:
Si ſcribis numero minus ſoluto
Tam bellè numeros pedéſque cogis,
Rebus tam lepidis, facetus alter
Vt nobis videare Martialis:
Seu tu Socratici libros Platonis,
Seu tu diſcipuli tuis recludis,
Tam bellè omnia Belle, tradis, vt quæ
Multis preſſa iacent tuo reſurgant
Expreſſa ingenio: magis ſed vno
Es bellus titulo quod iſta bellè vt
Cures cuncta, nihil tamen ſuperbis.

Ad Antonium.

Dum rego te Antoni, quanti Theophraſtus amici
Marci eſt reſpondes non meus iſte liber.
Sic ne putas aptè mihi reſpondere roganti?
Non libri dominum, te rogo ſed pretium.
Sed video, metuis, ne ſi tuus eſſe putetur,
Iam meus vt fiat, deſinat eſſe tuus.

Ex Zenodoto.

Quis poſuit ſculptum prope fontes ſculptor amorē
Extingui vt flammam hac credat amoris aqua?

Ad Adrianum Sombret.

Cœlo ferendo viſus Atlas non ſatis
Adiunxit Herculem ſibi: cœlo tuæ

Sophiæ, quid eſſe grauius aut maius poteſt?
Hoc tu tamen dum ſuſtines ſolus, tibi
Imponis illo non minus cœlo alterum,
Voluens Galeni pondera, his humeris tamen,
Vtrique poſſis vt ferendo ponderi
Par eſſe: magno ſic Atlante fortior,
Qui ſolus vni non ferendo par fuit.

Ad Io. Neſtora.

Sed quem? quem potius mei laboris,
Quem per tres hyemes docens virorum
Percurri in numero diſertiorum
Gregis dux aries, mei imo honoris
Hæredem cupiam? diſertiorum
Quàm te Neſtora principem virorum,
Vatum præcipuum, aurei liquoris
Flumen, fulgura cui datum coruſco
Vibrare eloquio, graue intonare?
Suas vt ſocio laboris olim
E Peante ſato Hercules ſagittas
Reliquit, mihi ſic ſuas, diſertus
Et fortis Ioue natus, has viciſſim
Concedens tibi linquo, non fruendas,
Peantis generi vt miſello, at illi
Qui ſe dicere poſſit & fateri
Vlyſſem Argolicæ decus Mineruæ.

Ad Io, Rupellum Eduum.

Seu ſocco ſcribis latio patrióq;, latinis
Es pudor, & patriæ gloria rara tuæ,

Siue tonas grandis patrio latióq; cothurno
Te gaudet tragico Gallia, Roma dolet.
Comicus inuideat quamuis tragicúſque latinus,
Non eris extremo qui numerere loco.
Accedant grandes Galli faciléſque poetæ
Seu magnum turgent liberiúſque fluunt,
Vnum te ſocco lepidum, grandémq; cothurno,
Gaudebunt ſocium laudis habere ſuæ.

In Antonij Prunerij dictum.

Vere virebo.

Dum Daphnem Phœbus ſequitur, fugit illa ſequentem,
Atq; humana nouo cortice membra tegit,
Hanc amplexatus, laurū vt guſtauit, & inquit,
Illa etiam primam ſeruat amaritiem:
Vt tua viſa deo eſt prunus, guſtatáq; fructu
Quæ tota vt ſuauis, ſic queq; fronde foret.
Prunum amplexus ait, iam laurus amara recedat,
Pro lauro prunus ſit ſacra tota mihi.
Quid tu ergo Phœbo es verbis iniurius, vt ver
Huic das, quo tantùm fronde virere queat?
Aeſtate, autumno, prunus, brumáq; virebit,
Aut ver perpetuum quò foueatur erit.

Ex Lucilio.

Qui modò olympicus eſt fortiſsimus, antea habebat
Naſum, mentum, aures, atque ſupercilium.

Vt ſcriptus pugil eſt hæc omnia perdidit, vt iam
Nil ſibi de patriis poſſ.t habere bonis.
Eius imaginem habens frater dum protulit, alter
Iudicibus viſus nil vt habens ſimile.

Ex eodem.

Eſt factum tibi Apollophanes caput vndique cribrum
Aut libri aduerſæ quos comedunt tineæ:
Sunt formicarum hinc ſinuoſa foramina, ſunt hinc
Cantorum Lydæ, ſunt Phrygiæq; notæ.
Intrepidus pugil eſto; vt enim ſuper accidet olim
Vulnus, erit quod habes, plura habuiſſe nequis.

Ad Ioannem Præuotium.

Seu ſpectes animum, ſeu linguæ vtriuſq; nitorem,
Seu faciem, & varia nomen in hiſtoria,
Sic hæc te reddunt faciéque animóque decorum,
Vt ſint rege, tibi, ſint tibi digna ſopho.
Rex tamen vt poſſis, poſſis ſophus ipſe videri
Nec regis titulos, nec capis ipſe ſophi.
Gratus Apollo magis ſtudio tibi, cuius vt ora
Non referas, nati tu tamen ora refers.

Ad Lodo. Miquellum.

Dono qui mihi miſſus eſt libellus
Lycampæa canit trophæa, & actum
Flammis in cineres locum rependens
Donis dona, tibi librum viciſſim

Dono

Dono qui tragicos tonans dolores
Magnorum cineres gemat virorum,
Coſtidíſque necem, ſacrámque vitem,
Fortunæ thalamos ſonet, petulcis
Diuinam ſatyris malè expetitam.
Sic do pro numeris tibi ſolutis
Aſtrictos numeros, ſed hoc in vno
Tuis diſſimiles, quod hi minus dum
Reſpondere tuo queunt nitori,
Donum conueniens minus remitto.

Ad Dominicum Reollinum.

MEi comes laboris,
Meáq; ſortis olim,
Qui mî fuiſti, Atlanti
Quod Hercules ferendo
Cælo fuit, meorum
Iam particeps honorum,
Quando recurret illud
Tempus mihi expetitum.
Vt quod tui labores,
Tuúmque nomen olim
Nobis ſonant futurum,
Aut dominus aut ſuperbus
Sis regulus? reclamet
Hoc vita contra quamuis
Simplex, tuíque mores,
Si tu tamen laboras
Id eſſe quod ſeuera

Integritate huc vſque,
Fidéque ſanctiori
Adnixus eſſe quondam es
Ornatiore viues
Re & nomine: appetentes
Laus vitat, at negantes
Vltro expetens coronat.

IN DICTVM EMVNDI
Morelli, Lucet labore labor.

SI *prima* Herculei *ſuperata ærumna laboris*
Summum eadem in prima laude fuiſſet opus,
Quæ nunc viua volat paſsim poſt fata ſepulti
Gloria, iam vilis tota ſepulta foret:
Sed quia compreſſo ſucceſsit lerna leoni,
Lernæ Erymanthæus *cæde repreſſus aper,*
Ceruus apro, ceruo, neruoſo Stymphalis *arcu.*
Pulſa, his Hyppolitæ *vincula* Amazoniæ,
Et *ſtabuli* Augæi, *& ſæui victoria tauri,*
Et *cum tergemino ſanguine paſtus equus.*
Et *ſpolia* Heſperidum, *ſtygióque abductus ab orco*
Tartareus pandens guttura vaſta canis,
Clarior illucet repetitæ gloria palmæ,
Et cauſam laudis cauſa ſequentis habet.
Sic dum decertas repetito ſæpe labore,
Vt ſit in expoſita luce labore labor:

Quin

Quin merito dicas lucere labore laborem?
Vt taceas, poſſunt id tua, facta loqui?
Facta quidem Herculeis æquanda laboribus, & ſi
Fas mihi ſit verum dicere, clara magis.

De quoddam interfecto dum lotium emitteret.

Dum lotium emittens diſtento podice pedit,
Transfixus gladio prætereuntis obit.
Spiritus vt ventris, ſic vitæ ſpiritus exit,
Hoc vere eſt animam pedere non vomere.

AD PETRVM PENNIER.

In fratres animo notus per bella paterno
Æternus nobis ſi proculeius erit:
Carcere qui vincto ſoluis reficiſque parentes
Conſilio nudos auxilióque leuans,
Extento nobis non viues notior æuo?
Quæ vitæ huic cauſa eſt, hæc quoque parta tibi.

Ex eodem.

Bis duo luſtra vt abeſt, patriæ ſeruatus Vlyſſes,
Hunc Argus ſolo nouit ab ore canis.
At tu dum pugil es Stratophon per quatuor horas,
Ignotus canibus non es, at es populo.
Nam faciem in ſpeculo vt lubeat ſpectare, vel ipſe
Iuratus dices non ego ſum Stratophon.

In Aulum.

Nil non officio ſtudióque anniteris Aule,
Solicitus lucri quo videare mei:

Ad Petrum Gallandium Becodianum gymnaſiarcham.

MEi en laboris fœtus, hic tibi primum
Fructúſque prodit, lucis appetens tantum,
Quantum fauoris deferes tui, Muſæ
Parens Latinæ. ſunt ſuis iugis noſter
Quos Bachus olim cum ſuis agens nymphis
Fudit liquores. Pampinis ſuam chartam
His qui coronat, qui poëma componit,
Illum putaris ſobrium parum? Bachum
Hoc mere cultum quot ſibi, ſibi notum
Vellent: ſed imbre Caucaſi aſperum pectus
Et congelatum non ſubit deus natus
In igne, viuos ſpiritus nec accendit.

FINIS.

Errata ſic corrigito

Folio primo pagina.a Lege,*purpureis.l.iuuene.fo.1.pa. b.l.*S*u-blatam.f.1.p.b.l.fœlix.fo.3.p.a. l.foret.f.6.p.b.l.*A*nguem.f.7. p.a.l.funeris in vſum.f.15.p.b.l.ruina.f.16. p.a.l.occumbens. f.17 p.b.l.ridet.f.18.p.a.l.fides.f.20.p.b.l.iã.f.29.p.b.l.equis. f.37.p.b.l.teſtantur.f.38.p.a.l.innoxium.f.44.p.a.l.ære.f.44. p.b.l.perferet.f.45.p.a.l.*S*yren.f.48.p.b.l. ſparſo.f.48.p. b.l. Quid.f.50.p.b.l.nece.f.51.p.b.l.an.52. p.b.l.pati.fo.59.p.a.l. hæc.f.59.p.b.l.vt deleas duos verſus,ſequẽs ſitſit cauſa f.66.p. b.l.duos præmittendos verſus: Confectum genus in ſe diuidi,* Bello *cecidit ſæpe ſuperbo.f.67.p.b.l.croceos.f.72.p.b.l.aëris.f. 90.p.a.l.mouere.f.95.l.patrémque.f.85 p. b.l.minus.f.87.p. a.l.ſumus.f.99.p.a.l.correptos.f.200.p.a.l.pene.f.105.p. a.l. vita.f.107.p.a.l.fouebo.f.108.p.b.l.cadat.f.110.p.b.l.rigidus fo.111.pag.a.l.perſtat.fo.111.pag.a l.ære.fo.112.pag.a.l. hic de-gis.f.114.p.a.l.puellis.f.116 p.a.l.deferor.f.116.p.a.l. reſtin-xerit f.116.p.b.l.parentur.f.117.p.b.l.aureo.f.118.p.a.l.* Phœ-*bi.f.118.p.b.l.hos.f.119.p.a.l. habendaus. f.119.p.a.l.* Eucar-*dia.fo.120.p.b.l.petinuiſque.fo.121.pag.a.l.incuſſa.f.123.p.a. l.curat fo.123.pag.b.l.balantibus. f. 126.pa. b.l.* Sardonicha *f.131 pag.b.l.* Smaragdo.*f.132.pag.b.l.* Dele *carmen integrum & lege ſequens.* Athenis.*f.235.p. b.* Vomitque.*l.* Adde *carmen ſuperioris lituræ Quod magni.f.136.p.a.viſum nobis,l.viſum nobis.f.137.p.a.l. cecilio auaro.f.138.p.a.l.fauces.fo.138. p.a. l.diſsiliiſſe. f.140.p.a.l. ſuperat. f.140.p.a.l.percitus fo.140. p.b.l.excultis.f.141.p.b.l.*Exculta *f.141.p.b.l. vrbe.f.141.p.b. l.*Bernard.*f.142.p.a.l.* Hoc.*f 142.p.a.l. equè. f.142.p,a.l.pa-rentem.f.142.p.a.l.quonam.f.143.p.b.l.vt.f.143.p.b.l.*S*ylua fol.144.p.a.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE